R. ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

EPISTOLARUM

AB

ERUDITIS VIRIS

AD

ALB. HALLERUM

SCRIPTARUM

PARS. IV.

LATINÆ.

VOL. IV.

EPISTOLÆ CXXXII.

SCRIPTÆ AB ANNO MDCCLVI.

AD ANNUM MDCCLX.

BERNÆ

Sumptibus Societatis Typographicæ.

1774.

TABULA.

* WARNER DE LA CHENAL, *Medicus & Botanicus Basileensis*, Ep. 81. 84. 85. 86. 90. 91. 95. 99. 103. 106. 109. 113. 114. 116. 118. 120.

* J. MARIA DE TURRE, *Neapolitanus*, Ep. 88.

* J. FRANCISCUS CIGNA. *Taurinensis*, Ep. 89.

* EMAN. BERDOT FIL. *Medicus Montbelgardensis*, Ep. 99. 108. 119.

* STEPHAN BALIGHA, *Medicus Hungarus*, Ep. 87.

* CAR. FRID. WOLF, *Professor Petropolitanus*, Ep. 100.

* J. ANT. SCOPOLI, *Schemnizii Consiliarius* Ep. 122. 132.

* GOTTLIEB EMAN. HALLER, *A. fil. Secretarius rei Bellicæ*, Ep. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 130. 131.

TABULA EPISTOLARUM

TOMI III.

HUMPHRODUS SIBTHORPE, Ep. 405. 439.

F. SCHREIBER, † Ep. 406. 407. 412. 426. 433. 443. 455. 471. 475. 486. 500. 512. 527. 549. 574. 580. 592.

J. GEORG. GMELIN, † Ep. 408. 410. 414. 417. 445. 456. 457. 462. 467. 476. 491. 497. 506. 523. 533. 561. 565.

* JOH. DE GORTER, *Archiater Ruſſicus*, † Ep. 409. 438. 451.

CHRIST. GOTTL. LUDWIG, † Ep. 411. 418. 429. 436. 446. 458. 480. 490. 532. 589. 605. 620. 640. 654. 666.

J. FRID. MECKEL, Ep. 413. 420. 423. 427. 431. 432. 435. 444. 447. 448. 450. 452. 459. 466. 472. 474. 477. 481. 485. 487. 492. 494. 498. 499. 504. 507. 508. 511. 519. 521. 526. 529. 536. 547. 550. 551. 558. 562. 569. 572. 581. 582. 587. 588. 590. 595. 599. 614. 616. 626. 659.

B. WICHMAND, Ep. 415. 424. 585.

* D. C. SCHOBINGER, *Profeſſor Sanct. Gallenſis*, Ep. 416. 421. 442. 602. 669.

* ERICUS ELF † *Obſtetriciæ Profeſſor Holmienſis*, Ep. 417. 425.

TABULA.

FRANCISCUS BOISSIER DE SAUVAGES, † *Professor Monspelienſis*, Ep. 419. 483.

J. GESNER, Ep. 422. 428. 441. 461. 465. 473. 482. 485. 502. 518. 546. 554. 568. 571. 596. 601. 618. 624. 630. 631. 632. 634. 636. 637. 638. 639. 642. 647. 649. 661.

NIC. ROSEN, † Ep. 430. 460. 525. 566. 597. 625.

CAR. LINNAEUS, Ep. 434.

* J. BENJAMIN BOEHMER, *Professor Lipsienſis*, † Ep. 437.

* PETRUS WARGENTIN, *Eques Acad. ſuec. a ſecret.* Ep. 440. 514. 526. 555. 584.

* J. CHRISTOPH RAMSPECK, Ep. 449. 464. 505. 528. 578. 598. 629. 668.

J. B. MORGAGNUS, † Ep. 463. 524. 560. 606. 613 621. 628. 641 649. 657. 662. 665.

* ABRAHAM KAAUW BOERHAAVE, *Professor Petropolitanus*, † Ep. 468.

* J. STEPHANUS BERNARD, *Medicus Amſtelodamenſis*, Ep. 478. 487. 493. 496. 544. *ordo turbatus* 557. 603. 611.

ADRIANUS v. ROYEN, Ep. 479.

* SAMUEL AURIVILLIUS, *Professor Upſalienſis*, † Ep. 459.

* GUNTHER A BUNAU, *Suprem. tribun. appellationum Cellenſis, deinde Cameræ Imperialis Wetzlarienſis Aſſeſſoris*, † Ep. 497. 501. 509. 515. 522. 545.

Viro Illustri

HIER. DAVIDI GAUBIO

ARCHIATRO & PROFESSORI

AMICO ACADEMICO

JUSTÆ VENERATIONIS ERGO

HALLERUS.

PRÆFATIO
AD TOMUM IV.

CUM Bibliopola desideraret aliquam in edendis his Epistolis accelerationem, duo Tomi eodem tempore diversis locis prelo sunt excusi. Ea celeritas novi numeri Epistolarum necessitatem fecit, cum prævideri non posset, quousque Tomus III. esset continuandus: nihil cæterum in ordine mutatum est, qui annos mensesque sequitur. Interim anno MDCCLIII. ab adversa compulsus valetudine, Academiam reliqui, patriam repetii, alia ad officia sum ad-

motus. Anno MDCCLVIII, Rupem migravi, salinas reipublicæ directurus. A musarum sedibus remotus, potissimum commercia litteraria cum septentrionalibus regnis lentius colui, cum meridionalibus magis. Multa spectant ad nuperam illam controversiam, quæ mihi ob partitionem partium corporis animalis mota est, quam aliqui clari viri defendendam susceperunt, multi alii refutare sunt adgressi. Aliqua tamen hic intercesserunt, non invenienda alibi, ut Bernardi de vero auctore impii libelli *l'homme machine* indicium: auctoris nomen omisi; cum enim superstes sit, non putavi revelari debere. Optimi Zinnii querelas non totas suppressi, quibus omnes ejus epistolæ plenæ erant. Doctissimi D. Triller epistolas vel ideo adjeci, quod aliter posterioribus tem-

TABULA.

* ABRAHAM GOTTHELF KÆSTNER, *Professor Gœttingensis & Consil. Aul.* Ep. 495.

* J. GOTTFR. ZINN, *Professor Gœttingensis*, †
Ep. 503. 512. 520. 531. 548. 552. 553. 559. 563. 569. 575. 622. 633. 635. 643. 644. 650. 651.

* FRANC. MARIA ZANOTTUS, *Acad. Bononiensis a Secret.* Ep. 510.

* GEORG CHRISTIAN OEDER, *Consil. Reg. Dan. a reditibus*, Ep. 513.

* J. W. ALBRECHT, *Medicus Hildesensis*, Ep. 534.

* J. GOTTFRIED DE HAHN, *Medicus Uratislaviensis*, † Ep. 550. 570.

* DANIEL WILHELM TRILLER, *Professor Wittebergensis*, Ep. 564. 576. 591. 610. 645. 656.

* JOH. BOHADSCH, *Professor Pragiensis*, † Ep. 573.

P. H. S. MOEHRING, Ep. 577.

* MILCOLUMBUS FLEMMING, *Medicus Scotus*, †
Ep. 579. 586. 604. 605. 609. 612.

* G. C. HOFMANN, *Chirurgus Trajecti ad Mosam*, Ep. 583.

* J. AUGUST ERNESTI, *Professor Lipsiensis*, Ep. 593.

HIERONYMUS DAVID GAUBIUS, *Professor Leidensis*, Ep. 594.

TABULA.

* F. SCHWACHEIM, Ep. 600.

* D. CHRISTIAN LOEBER, *Professor Jenensis*, Ep. 601.

* PETRUS HOLMIUS, *Theologus Hafniensis*, Ep. 608.

* J. A. AHASVERUS, *Bremiensis Medicus*, Ep. 615. 617. 628.

* J. HENRICH DI BRUNN, *Medicus Scaphusiensis*, † Ep. 619.

* ERICH GUSTAV LIDBEK, *Professor Lundensis*, Ep. 623.

* PANAJOTA CONDOIDES, *Archiater Russicus*, † Ep. 696.

* J. DAVID HAHN, *Professor Ultrajectinus*, Ep. 652. 664.

* GERARD JAC. DE WACHENDORF, *Professor Ultrajectinus*, Ep. 653.

* PHILIBERT COMMERSON, *Celebris Botanicus*, Ep. 655.

* J. BAPTISTA BASSANUS, *Medicus Romanus*, † Ep. 658. 663.

* XAVERIUS MANETTI, *Medicus Florentinus*, Ep. 660. 670.

* J. F. KOELREUTER, *Professor Petropolitanus*, Ep. 667.

TABULA EPISTOLARUM
TOMI IV.

CHRISTIAN GOTTLIEB LUDWIG, † 1. Ep, 121.

* ACHILLES MIEG, Ep. 2. 20. 21. 32. 35. 37. 41. 44. 46. 47. 49. 61. 71. 111. 115. 129.

J. CHRISTOPH RAMSPECK, Ep, 3. 9.

J. BAPTISTA BASSANUS, † Ep. 4. 7. 29.

* J. BURMANN, Ep. 5.

* ANTONIUS CAP DE VILA. Ep. 6. 56. 78. 82.

* BENET, *Medicus Monſpelienſis*, Ep. 8. 11. 26.

* MARC. ANT. LEOP. CALDANUS, *Profeſſor Pavinus Primarius*, Ep. 10. 12. 15. 16. 22. 25. 30. 34. 39. 45. 48. 54. 62. 63. 74. 80. 82. 93. 98. 101. 102. 104. 110. 112. 117.

J. GOTTFR. ZINN, † Ep. 13. 24. 68. 72.

J. B. MORGAGNUS, † Ep. 14. 31. 38. 52. 66. 105.

* URBANUS TOZETTUS, *Scholar Piar. Profeſſor*, Ep. 17.

* LUDOVICUS PALLIANI, *Chirurgus Romanus*, Ep. 18. 36. 43. 53.

* STEPH. JOH. PETRUS HOUSSET, *Medicus Altiſiodorenſis*, Ep. 23. 27.

TABULA.

* J. VIVENTIUS, *Archiatrorum ſummus Neapolitanus*, Ep. 28, 42. 55.

* J. BERNOUILLI, I. fil. & *Nep. Orat. de inoculatione variolarum*, Ep. 33,

* THOMAS L\GHI, † *Prof. Bononienſis*, Ep. 40.

* JANUS PLANCUS, *nobilis Ariminenſis*, Ep. 50. 57. 73. 75.

NICOLAUS ROSEN, † Ep. 51.

J. GESNER, Ep. 58. 83. 92. 107.

* PHILIPP. CANESTRELLI, *Aquilæ in R. Neapolitano Medicus*, Ep. 59.

J. FRIDERIC. SCHREIBER, † Ep. 60.

* J. MATTHIAS GESNER, † *Profeſſor Gœttingenſis vir Doctiſſimus*, Ep. 64. 70.

* CAROLUS \LLIONE, *Botanicus & Medicus Taurinenſis*, Ep. 65.

* CAROLUS PHILIPPUS GESNER, *Archiater Saxonicus*, Ep. 67.

* PAULUS VALCARENGHUS, *celebris Medicus*, Ep. 69.

* FELIX FONTANA, *Abbas, Vir ſummus*, Ep 76 96.

* NEGRINUS, *Medicus*, Ep. 77.

DANIEL WILLHELM TRILLER, Ep. 79.

poribus de me judicaſſe viſus ſit. Morbum Cl. Bremenſis Medici rectius forte preſſiſſem, etſi in eo malo nihil quidquam eſt, quod tegi mereatur. Wachendorfii celebris hic epiſtola excuſa datur, quæ tantas in me Albini, ſummi Viri, iras concivit. Et tamen nihil hic mihi ipſi ſumebam, qui honore inventæ membranæ pupillaris facillime Wachendorfio ceſſi, ut omnino vitæ Albinianæ auctor hic præter rem, litis mihi a ſummo viro intentatæ cauſam, in invento aliquo quæſiverit, quod & ego mihi adrogaverim, & ſuum Albinus fecerit. Nihil ego quidquam interpoſui, niſi modeſtam certe ad Albinum ipſum exorandum petitionem, ut diſcipulorum ſuorum nollet nomina premere, unde fiat, ut ab aliis pro plagiariis poſſint haberi, etſi nihil ipſis de prioribus

Albini juribus innotuiſſe potuerit. Morgagni Epiſtolas, ut ipſo a nomine viri illuſtris ſuum habituras pretium, recuſas dedi, etſi rariſſime Vir Ill. aliqua Phyſiologica vel Anatomica tetigit. In T. IV. Ep. 2. iconem indicatam omiſi, quæ & in commentariis Gœttingenſibus reperiatur, & in Hiſt. Stirp. inch. Tomi V. & VI. quibus latina collectio abſolvetur, continuo ſequentur. Vale & fave. Bernæ 26. Mart. 1774.

1.

C. G. LUDWIG.

SORTEM Tuam doleo, quod adeo dubius hæreas, an Germaniam an Patriam Tuam ſedem fixam eligere debeas, ego vero vellem Te in Patria mea vivere poſſe, ſed Amicis Tuis Te eripere nolo. Servet Te ſummum Numen ubique incolumem, quo Amicitia Tua diu adhuc frui poſſim.

De Phænomenis irritabilitatis ſæpius me dubitare fecerunt ægri laborantes, tentavi ideo an .... contextum cellulosum, qui vaginas tendinum inveſtit, evolvere poſſim ſed fruſtra, multa phænomena certa inveni, omnia tentare & ſub variis circumſtantiis tentare ob laborum copiam non poſſum.

Nunc cadaver feminæ in Theatro Anatomico diſſeco: gibboſum eſt 43. annorum, oſſa mollia & fragilia ſine ſigno luis venereæ obtinet, ideoque plurima curioſa perluſtranda affert. In hoc ipſo ante horum nervum per digitum diſtributum diſquiſivi & panaritii ſecundi generis doloroſas tenſiones ad ſat copioſos nervos declarare poſſum, minime vero tertium genus, quod in vaginis tendinum progreditur & præcipuos cruciatus induxit, & quomodo velis explicare dolores ad tractum tendinum ſæpe progredientes, forte ex perioſtio ubi adhæ-

rent, ſed & hoc in illis locis maxime callo-ſum eſt. Ego quidem in praxi clinica dolores eorumque conſenſus adtente ſæpius perluſtravi, ſed nondum eo deduci poſſum ut & nudas obſervationes eo ſcriptas, inter ſe conferrem.

Hartranftius poſt obitum mihi legavit apparatum oſſium, quem per vitam ſuam ſtudioſe collegit, cum jam poſſideam collectionem Hommelii Profectoris olim Argentinenſis. Vix morbus oſſium deeſt, quem non pluribus exemplis illuſtrare poſſim. Vale & me ut ſoles ama.

Dabam Lipſiæ d. 15. Jan. 1756.

2.

ACHILLES MIEG.

NE iſtæ Litteræ obſervatione omnino vacuæ ſint, viſum eſt hic adjungere *Frangulæ ora folii ſerrata* Enum. Helv. p. 164. deſcriptionem, non quidem propriam, verum a D^no^ Rudolpho Stehelino, Anat. & Botanices in noſtra univerſitate Prof. celeberrimo, mihi amiciſſimo ante aliquot jam annos confectam. Is illam primo Actis Helveticis deſtinavit, poſtea vero, quum videret in Act. Gœtting. a Te jam eſſe deſcriptam, conſilium mutavit, mihique, quod plantam recentem ipſe nondum viderim, Obſervationem ſuam deſcri-

describendam commisit, quam equidem Tibi, Vir Perillustris non ingratam fore ratus sum, quod viderem, eam, quod ad fructificationis inprimis structuram attinet, a Tua descriptione aliquatenus recedere. Plantam laudatus Stehelinus Mensis Junii initio florentem reperit ad rupes Montis Dornacensis ptoxime viam, quæ versus Hobel ducit, atque copiose etiam supra muros arcis Ramstein, rupesque quibus illa arx insistit. Frutices alii juxta Ejus observationem, non nisi masculos flores, femineos solos alii producunt. Excrescunt autem illi ad altitudinem 6. 8. 10. pedum, ramosi, & absque spinis. Folia nondum explicata sive gemmæ foliorum lento & viscido humore sunt obsitæ, uti in Alno rotundifolia glutinosa viridi C. B. observatur, unde nomen *Alni nigri* huic plantæ impositum fuisse existimat, & germanicum monticolarum nostratium Rusticorum qui *Tross-Erlen* vocant. Dum ex gemmis folia explicari incipiunt, nervi foliorum paralleli costæ applicantur, eundem fere in modum, ac in flabellis mulierum chartam convolutam conspicimus, hinc priusquam integre expensa sunt, rugosa evudant. Integre vero evoluta folia diversæ observantur figuræ & magnitudinis: quæ nempe ad exortum ramorum sunt exigua, ovata, fere orbiculata sunt; superiora vero longe majora, ovato-oblonga, cum vel sine acumine, duas, tres, imo ad 4. uncias quandoque longa, duas cum semisse & amplius

lata, atrovirentia, ſplendida, nervis pluribus elegantibus ſibi invicem parallelis, eodem modo ac in Frangula vulgari, oblique per totum folium diſcurrentibus, cujus ora ſerrata eſt. Floſculi in utraque planta, tum circa foliorum ortum, tum etiam ex mediis ramis copioſi exoriuntur plures (ad 6. 8. 10.) ex uno eodemque loco, ſingularibus pedunculis oblongis inſidentes, ſquamula corticali cito defluente antea incluſi. Floris maſculi Calyx herbacei coloris, campaniformis, limbo in quatuor lacinias triangulares, coloris magis ad luteum vergentis diviſo. Inter ſingulas Calycis lacinias ſquamula petalodea adeſt exigua, erecta, introrſum concava, ante calycis expanſionem albida, mox ferruginei ſive gilvi coloris. Sub 4 hiſce ſquamulis totidem ſunt ſtaminum filamenta, lineam circiter longa, calyci inſerta, quibus inſident Antheræ ſatis craſſæ, didymæ, lutei coloris. In fundo Calycis ſtylus apparet exiguus, filamentis ſtaminum brevîor atque tenuîor, abſque germine vel ovario, ſcilicet non niſi rudimentum piſtilli. Floſculi una cum pedunculîs, ſtatim poſtea, quam Antheræ officio ſuo functæ ſunt, nimis facile decidunt. Feminini floris Calyx, uti in maſculis, in 4. ſegmenta triangularia expanditur, etiam ſimiles interpoſitæ obſervantur ſquamulæ, ſed paulo minores. Filamenta vero ſtaminum antheris deſtituta, qualia in flore feminino *ſpinæ cervinæ* apparent hic, ne, microſcopio quidem adhibito obſervari poſſunt.

Stylus

Scylus cæterum unicus adeſt, ſuperius in 3. partes fiſſus (uti etiam J. Bauhinus deſcribit) ſtigmate ſingulis inſidente ſimplici. Germen ſubrotundum, triloculare, triſpermum. Præterea ſegmenta Calycis, quæ in flore maſculo abſque calycis dilaceratione ſeparari nequeunt, in femineo flore ab intumeſcente embryone finduntur & decidunt; tubus vero tunc ceu cupulam quamdam conſtitudit, in qua Germen continetur, abiturum per maturitatem in baccam tricoccam.

Monet etiam Cl. Stehelinus, ſe plantam ſuam comparaſſe cum illis, quæ in Hagenbachiano & Bauhiniano Herbario ſub nomine *Frangulæ alterius ſ. Alni nigræ polycarpæ* C. B. ſervantur, & vidiſſe, in iconibus huic plantæ in C. B. herbario appoſitis floſculos copioſiores depingi, quam ipſi in ulla obſervare licuerit, ſed exiſtimat, calore & ſiccitate ejus anni, quo plantas ſuas collegit (1753.) accidiſſe, quod, priuſquam ipſe in eas inquireret, complures floſculi jam deciderint, Dubitat tandem, an planta a Lonicero ſub nomine *Creuzbeere* huc referenda ſint, ob nervos foliorum minime parallelos.

In Icone adjecta deſignatur per Litteram

a. Flos maſculus, cum ſquamulis petalodeis, & ſtaminibus (confuſe quidem repræſentantur ſtamina & ſquamæ illæ; at quum non ex planta recenti, ſed ex icone a Stehelino mecum communicata figuram depinxerim, errores corrigere non potui.)

b. Squamula extrorſum convexa, uno ſtamine anthera didyma inſtructo.

c. Flos fæmineus, intra quem conſpiciuntur ſquamulæ petalodeæ, & germen cum ſtylo trifido.

d. Germen, quale apparet, poſtquam & ſtylus & calycis laciniæ delapſæ ſunt.

e. Germen in medio horizontaliter diſſectum, continens ſemina tria.

Notandum, omnes haſce icones, naturali magnitudine majores, ſc. per lentem conſideratas, exhiberi. Cæterum plantam ipſam tam maſculam quam fæmineam cum reliquis mox mittam. Interim vero mihi favere perge, Vir præclariſſime! uti ego Te colere non deſinam. Vale.

Dabam Baſileæ d. 4. Febr. 1756.

3.

J. C. RAMSPECK.

In Curriculo ſuo phyſiologico Albinus pergit, nobiſque egregia ſua monſtrat præparata, quæ cum ſumma ſemper contemplor admiratione, ne unicam adhucdum ejus neglexi Lectionem. Collegium ejus manuſcriptum admodum correctum & completum, atque paucos ante annos ab amico quodam ſatis exacte in Calanum exceptum nunc deſcribo. Frater

ejus

ejus Operationes chirurgicas atque in Anatomicis Myologiam abſolvit, cum de muſculis intercoſtalibus internis egit publice laudes Tuas Vir Perilluſtris! prædicavit litis quondam tuæ cum Hambergero mentionem faciens, ex cujus etiam præterea privatis colloquiis, quanti Te faciat, intelligere mihi licuit. Præparationibus & diſſectionibus ſuis ut intereſſe poſſem, pro ſua humanitate copiam mihi dedit. In Cadavere, quod diſſecuit, præter communes ſat variationes in muſculis manus & pedis extremi obſervavi ſuperficiem cordis fuiſſe penitus ſuppuratam: dein novum demonſtravit Muſculum, cujus deſcriptio hæc eſt uti ex ore Albini in calamum excepi. Oritur principio aponeurotico quaſi & duobus diſtinctis capitalis in latere dextro thoracis à 6ta, 5ta, 4ta coſta juxta earum cartilagines, commiſcetur cum digitis Pectoralis majoris atque obliqui externi e regione recti abdominis, a quo tamen a dentibus obliqui ſeparatur, tenuis ab initio, deinde craſſeſcit, etiam latior fit, decurrit verſus ſuperiora juxta marginem dextrum ſterni ſuper cartilagines reliquarum coſtarum. In ſummo oſſis ſterni ad jugulum mutatur, iterum intendinem tenuem, duoſque proceſſus aponeuroticos ad ſiniſtram partem emittit, quorum inferior muſculo pectorali ſiniſtri lateris, ſuperior autem parti ſiniſteriori ſterni inſeritur. Tendo autem pergit in tendinem ſterno maſtoidei atque cum eo com-

miſcetur, ita ut unus idemque eſſe videatur, atque ſterno maſtoideus, digaſtricus modo fiat.

Quoad variationem muſculorum aſſeruit Cl. Albinus, ſe vidiſſe ante 4. annos quod ambo Coraco-hyoidei in utroque latere defuerint.

Quod perhonorificam a Boruſſorum Rege Tibi oblatam invitationem Patriam præferens tandem prorſus recuſaveris, maximo cum gaudio nuper Hagæ Cl. accepi á Kœnigio veſtrate id quod poſtea nobliſſimus mihique Amiciſſimus Iuvenis Fanciſcus Ludovicus Steigerus confirmavit. Gratulor Patriæ, quam preſentia Tua cohoneſtare ita pergis, gratulor Amicis, qui dulciſſima Tua conſuetudine proporro fruentur, gratulor & mihi talem Fautorem, quem vicinum inpoſterum venerari continget. Cel. Gaubius, quod hoc feceris, id quam maxime probat.

Nulli libri novi hactenus, quod ſciam, prodierunt, ex illis, quorum in hac regione coëmendorum mihi curam commiſiſti, ne unicum adhuc, quæ certe culpa non mea eſt, comparare potui. Diſſertationum quæ porquam difficulter & non ſine magnis ſumtibus hic colligi poſſunt, faſciculum, Weiſſius noſter propediem ad Te mittet.

Roſæ pimpinellifoliæ ſemina Zinnium deſiderare ex litteris Tuis intelligo, cum vero nomen ſpecificum legere non potui, placeat id clare exprimere, lubenti animo Cl. Viro inſerviam. Dabam è Muſeo Leydæ in Batavis d. 27 Febr. 1756.

4.

JOAN. BAPTISTA BASSANUS.

EPiſtolam quandam elapſo menſe ob ocülos habuimus, in qua Laghius Bononienſis medicus experimentorum ſeriem exponens tuam, Clariſſime Vir, de inſenſibilitate ſententiam fruſtra evertere conatur; ſiquidem, quæ proferuntur oppoſitiones, ſi recte expendantur in ipſa tua Diſſertatione confutationem habent. Id unum animadverſione dignum arbitrati ſumus; quod nimirum ipſe nervos a ſe obſervatos referat, qui in tendinum ſubſtantiam immittuntur. Mirum ſane duximus, quod iſta hæc immiſſio nervorum in tendinoſam ſubſtantiam & ſummam in experimentis diligentiam tuam, & notam microſcopiorum Cl. Lewenœckii aciem eludere potuerit. Rem propriis oculis examinandam ſuſcepimus.

Ea idcirco, qua par erat diligentia inſtituta, in parte cruris poſteriore obſervatione, prope venam ſciaticam nobis ſeſe obtulit nervi ramus, qui a nervo ſciatico oriens procedit intra muſculum gemellum externum & integumenta. Accurate ejus filamenta expendentes, quæ in integumenta, & ſupra Achillis tendinem emïttuntur, optimis inſtructi lentibus, ne unum quidem invenire potuimus, quod tendinis ſubſtantiam penetraret, integre vero in vaginis diſperdi ea vidimus. Id ipſum obſervavimus

vavimus in tenui ejuſdem nervi ramo, qui incipiens prope màlleolum externum oblique prope calcaneum in chordam magnam projicitur ita, ut primo intuitu ejus ſubſtantiam penetraturus videatur, at hic quoque ramulus iterum, atque iterum diviſus in membranis tendinem veſtientibus omnino expanſus ultra eas non progreditur. Hoc idem fit in tendinibus muſculi bicipitis, quemadmodum habita inſpectione colligere nobis datum eſt.

Explorationes hujuſmodi in aliis tendinibus adhuc proſequimur: eas accurate notat Toſettus, qui dein ſingulas in Epiſtola collectas publici juris faciet. Hæc Tibi, Vir Clariſſime, nuncianda volui.

Quatuor jam fere abhinc menſibus curavi ut per Morgagnum illam reciperes, quam optabas verſionem Italicam libelli Tui. Eam Cl. Viro miſi, una cum Cl. Zimmermanni, & Caſtelli Diſſertationibus, quæ ſimul cum Tua idem componebant volumen. Neſcio an toas adhuc offenderit manus, nec ne. Cura, Vir Clariſſime, ut valeas, & tua erga nos utere Benevolentia.

Dabam Romæ d. 13. Martii 1756.

5.

JOANNES BURMANNUS.

In Tui gratiam ac favorem omnes pervolvi per triduum, quantum tempus permiſit, Botanicos

tanicos meos Thesauros, quosque Tibi e re fore & utiles sepositi, atque jam Tibi, Vir Doctissime, transmitto, quos tam serena fronte accipere velis, quam ego cordato Tibi animo, tuoque usui eos obfero; ea vero lege, ut si ad Operis Tui decus iis fueris usus, omnes mihi inmaculatos & integros sancte remittas.

Primo itaque invenies 25. distinctas icones ad plantas vivas in membranis delineatas, quæ horti nostri Anstelodamensis quondam sine dubio fuere incolæ, sed ante meum tempus jussu & sumptibus primorum candidorum & liberalium curatorum fuere depictæ, ad quas tamen, qnod doleo, nulla nomina, nullas descriptiones, adnotationesqne inveni, neque tempus huc usque mihi fuit, quum a paucis elapsis mensibus eas modo acceperim, ac vix viderim, illas investigare, quum plurimis aliis quotidie distractus fuerim, uti facile concludere poteris, occupationibus, tum itaque, qui in hoc plantarum genere eruendo jam es distractus, facile eas distinguere & denominare poteris.

Secundo quatuor adsunt Orchidum Capensium icones, quæ in ipso Capite bonæ spei ad vivum sunt delineatæ, quasque ex ipsis meis Codicibus jam sarcinatis dilacerare coactus fui, ut tibi tuoque voto inservire possem. Harum tres insuper addidi, quas jam curaveram insculpi in æs, ut ipsarum formas inspici possis easque conserves quum has alii destinavi Operi propediem mihi edendo.

Tertio

Tertio invenies decem chartas, in quibus Orchides in patrio ſolo, Capite nempe bonæ ſpei, lectæ adglutinatæ ſunt, ſed quum ipſarum quaſdam præterito modo anno acceperim, juſta nondum adſcripſi nomina, præterquam quod plurimos in dies exſpectem plantas Capenſes, breviquo ipſum Oldenlandi Herbarium, ab eo ipſo ibi olim collectum.

Dab. Amſt. d. 29. Martii Anni MDCCLVI.

6.

ANTONIUS CAP DE VILA.

Quererer ſane, Cl. Vir, Te tam altiſſimo ſilentio devolvi, quum Litteris ad te meis XIV. Kal. Jul. datis nondum reſpondiſſes, ni ea, qua es præditus morum facilitas, atque humanitas pene ſingularis ſuaderent occupationibus id factum tuis. Quod quum ita ſit, facere non poſſum, quin mihi omnibuſque, quī medendi artem vel a limine ſalutarunt, ſummopere gratuler, quum jam animo cernam quantum decoris, utilitatiſque huic diſciplinæ ex tuis occupationibus accedendum eſt. Poſterioribus illis Litteris meis de Catalogo Medicorum Hiſpanorum, qui in Bibliotheca Nic. Antonii deſiderantu, a Cl. Mariano Seguerio Val. Profeſſ. Præceptore quondam meo compoſito te feci certiorem. Quem Catalogum ad fratres Cramer Bibbliop. Genevenſes curavit mitten-

mittendum Cl. Seguerius, ut una cum Mangeti operibus ederetur, Vellem tibi eum vidisse contigerit: adeoque si quæ in eo sunt, quæ tibi, acerrimi judicii Vir, minime probantur, spongia tua utere; nam modestissimus Seguerius pollicetur, se aut expectaturum quæ tibi minus ad palatum, aut tibi, quoad ejus fieri potest, satisfacturum. Homo autem votis omnibus expetit tuis commodis pro virili inservire: neque ejus consuetudinis jurato mihi crede unquam te spero pœnitere. Familiaris meus Bibliopola Mallen tuam de agnoscendis junioribus Anatomiæ, Chirurgiæ, Historiæque naturalis scriptoribus Hispanis epistolam ostendit. Cæterum ut verum fatear, dicam tamen quod sentio, vix ulli sunt, qui pedem extra Hispaniam audeant proferre. Hactenus quidam obtinuit garrula illa, & inanis rixandi gloria: & adhuc rancide quidam vetuli ad Peripateticam, Arabicam potius Philosophiam tamquam ad saxum adhæresçunt. Qamvis jam nunc speramus futurum, ut his nugis procul amandatis Hispania nostra in illarum Litteratum Schedis nulli genti secunda videatur. Barcinone Gadibus, Septæ, Iconii Mathematicæ scholæ institutæ sunt, quæ haud ulli totius Europæ cedunt. Et si juvenes quam plurimos nostros hac urbe videres, quo studio in hæc incumbant studia, tibi profecto essent stuporis. Magni etiam regis nostri jussu viridarium Botanicum Mantuæ Carpetanorum est constru-

conſtructum, omni herbarum genere, ut fertur, ſcatens.

Si quid ad me ſcripſeris, ita faciam, ut te velle intellexero; ſin minus de me tamen ſic velim judices, quantum poſſem, me tibi tuiſque commodis perpetuo præſto futurum. Vale litterarum columen, & me ama.

Valentiæ Hedetanorum 3. Nonas May. 1756.

7.

J. B. BASSANUS.

GRatum mihi foret quam maxime, ſi in edita diutius detineri adhuc poſſent ea opuſcula, quæ Lauſannæ publici juris factum iri innuis: Hanc enim imprimendam experimentorum ſeriem auctam optarem quatuor Toſetti noſtri epiſtolis, quarum tres ad calcem voluminis a Te per Morgagnum recipiendi relatæ ſunt; quarta vero circa medium præſentis Majini fallor e prelo prodibit. Hæc ultima reliquis amplior erit, ac diffuſior. Plura in eadem referentur experimenta in brutis capta; quibus additur quoque tentamen optimo exitu pluries habitum in detectis tendinibus extenſoribus digitorum pedis dextri in homine ſexagenario. Interim ea, quæ contra firmiſſimam ſententiam tuam de inſenſibilitate a Laghio prolata ſunt, obiter refellentur adnexa tabula ænea, in qua deſcribetur accurate integer decurſus illorum

illorum ex Iſchiadico nervorum, qui ſupra Achillis tendinem ludentes obſervavimas. Si itaque antendicta Lauſannæ Editio dilationem pati poſſit, eam quæſo Vir Clariſſime retarda, donec addendas Toſetti Epiſtolas a me recipias, quod quo potuit citius fiet.

Dabam Romæ 8, May 1756.

8.

BENET.

Summa ea comitas benevolentiaque, qua excipis omnes, qui oracula Tua ſitienter expetunt, invitat me atque impellit ut quibus circa irritabilitatem tuam dubiis æſtuo, ea quam potero in verba conferam pauciſſima. Namque fatebor, meo quidem dedecore, me ad eam veritatem ab illuſtrioribus viris ſummo cum omnium plauſu acceptam penitus non accedere: tanta eſt imbecillitas ingenii mei & hebetudo, ant præjudicata opinione obſeſſæ mentis excæcatio! Quamobrem ad te ſupplex confugio, ut ea monſtra, quæ a recto me amovent tramite, profligare, qua ſoles præ ceteris eruditione, doctrina, perſpicuitate, non dedigneris,

Hoc igitur omnium me maxime movet, quod irritabilitatem dicas fibræ muſcularis proprietatem, ipſi a Natura inſitam & ab ea vi prorſus diſtinctam, quam muſculis nervi conciliant. Videtur ſub hoc aſpectu conſiderata irritabili-

tas

tas muſculorum Naturam ingredi, ut ea ſublatâ muſculi ne concipi quidem poſſint: docent enim Metaphyſici proprietates ſubſtantiæ concreatas & a natura inſitas inter attributa ipſius eſſentialia recenſeri. Corpora gravia nunquam vim ſuam amittunt, qua in ſe invicem gravitant: Cur ergo ſua muſculis auferetur irritabilitas? Ejusne tantum Effectus pinguedinis congelatione cohiberetur? at leni calore dilapſa pinguedine maſculus irritatus ad ſolitas Contractiones revocaretur. Præterea cur ope nervorum ad nutum præſertim Animæ augetur aut imminuitur, quæ a nervis & a voluntatis imperio prorſus aliena eſt? Si conjectuais noſtris liceat aſſentiri, ea vis ſimplicius faciliusque intellecta fuerit, ſi inter proprietates corporum organicorum eſſeutiales non referatur & Naturæ leges.

Vim quamdam agnoſcis, vir præſtantiſſime, quæ a nervis profecta in muſculos transmittitur; nec eam fas eſt experientiis tuis tam belle ſuffultam vocare in dubium, etiamſi cauſa & ejus agendi modus denſiſſimis adhuc tenebris obvolvatur. Ea vis perinde & æquabiliter agit, ſive commercium illud compreſſione, ligatura, ſectione, tollatur, quo tamen in ſaſu ſolet haud longo temporis lapſu ſuffiaminari. Hæc omnia demonſtravit Bellinianum experimentum, quod dum ageretur, adnotavi nervo reſecto, & ad partem ſuperiorem pluries irritato, contractiones Diaphragmatis imbecilliores paullatim fieri, ac tandem omnino perire. Tum agentem rogavi, ut partem nervi depreſſiorem aggrederetur, & ad actio-

contractiones diaphragma ſtatim revocatum vidi, quod quidem ad nervi uſque inſertionem iteratum eadem ſemper ratione ceſſit. Ab ea ne vi diſtinguenda cenſetur irritabilitas? quin inter eas potius nullum dicamus intereſſe diſcrimen? Large & copioſe ditantur omnes muſculi nervorum propaginibus, quæ per ipſorum ſubſtantiam diſperguntur: ut vix ac ne vix quidem attingi poſſit muſculus, quin nervoſus ramuſculus irritetur: qua ex irritatione vis nervorum in fibras muſculares transmiſſa eam excitat contractionem, quæ ſpectantium oculis percipitur.

Simpliciſſima eſſet hæc irritabilitatis idea, ut amat natura ſimplicitatem, & a tuis circa nervos experimentis tanquam a fonte dimanare videtur, imo & iſto confirmari phænomeno, quod mihi ſæpius occurſavit. Quælibet muſculi portio non æque contrahitur, dum in variis partibus irritatur; ſed plures nunc agunt fibræ nunc pauciores; quod quidem alia ſententia vix laudabile, iſta expeditius intelligitur. Nervi in ipſa muſculorum ſubſtantia in quam plurimos majores minoresque diſperguntur ramos: plures ex illis, ex iſtis vero pauciores pullulant ramuli, qui totidem fibris carneis maritantur; atque ita ramo majori minorive ſtimulato, in plures aut pauciores fibras muſculares vis nervorum transmittitur; unde plurium pauciorumve fibrarum actio ſequi neceſſe eſt. Huic ſententiæ favere & quoque videtur, quod ſemel obſervavi unico tentatum experimento, por-

tionem nempe muſculi, cujus nervi, cæteris iisdem manentibus, a viginti quatuor circiter horis reſecti fuerant, irritabilitate ſua tribus quatuorve minutis citius orbatam fuiſſe, quam ejusdem muſculi, & altero crure paralyſi non affecto, ſimilis reſecta portio. Nova tandem ei fides ex iis aſtruitur, quæ de majori cordis irritabilitate differis.

Nec eo ducit hæc irritabilitatis interpretatio, ut quæ majori irritabilitate pars gaudet, eadem exquiſitiori ſenſu ſit prædita: abſit ut quidquam a tuis diſtâns experimentis propugnare unquam cogitem. Verum cum celebrioribus hujus ævi neotericis tueri non piget, nervos alios inſervire ſenſui; quod ſatis indicare mihi videntur cujusdam paralyſeos ſymptomata, quo in morbo ſupponi nequit motum ſenſui ſuperſtitem a ſola irritabilitate procedere, quæ debilior eſt, ut tantos producat motus. Canis cujus nervi ad crus proſpicientes reſecti fuerant, quamvis ſua muſculis ſupereſt & adhucdum irritabilitas, nequaquam crus agitavit omni motu ſpoliatum & ſenſu. Qui poſſent præterea ii motus, ut fieri ſolet, ad voluntatis imperium exerceri?

His, quæ ſuperſunt plura non addam in publica peccaturus commoda, ſi longioribus epiſtolæ ſermonibus Tua morer tempora: integritati judiciorum deberis & Medicinæ progreſſibus, quos eo uſque jam promoviſti, ut ſtupentes mirentur, quot quot ſunt ubique terrarum hujus artis antiſtitites, Te tantum medicinam nobili-

bilitaſſe, quantum ſuæ Newtonus phyſicæ ſplendoris attulit. Immortali hacce fruere gloria, annoſque feliciter imple neſtoreos. Hæc præter cæteros in votis habet, qui Te ſumma & ſingulari veneratione colit.

Dabam Monſpelii d. 1. Junii 1756.

9.

J. C. RAMSPECK.

VEniam a Senatu noſtro Academico impetravi ad finem uſque curriculi Academici in hacce muſarum manendi ſede, quo vero ut noſti, mox finito aliud iter meditor, Anglicum nempe, hacque de re ad chariſſimum parentem præterita ſcripſi ſeptimana eumque rogavi, vellet mihi Brittannos adeundi copiam dare: quum vero bellum contra Gallos in dies magis exardeſcat, timeo ut voti mei me reddat compotem, tunc autem opportebit me recta via patrios repetere Penates. Collegia chariſſimorum hujus Academiæ Profeſſorum omni Studio frequentare pergo. Hora ſeptima matutina juniorem Royenum plantas in horto demonſtrantem audio, hora octava Cl. Muſchembroekium Phyſicam docentem, hora nona D. Allamand eandem tractantem ſcientiam, hora decima Albini lectiones phyſiologicas ſumma cum animi voluptate adeo, cujus magni certe viri aurea præparata obſtupeſcens non poſſum quin admirer.

Doctrinam de visu nunc explicat, omnesque oculi partes mirifico artificio injectas ac præparatas demonstrat. Fibras orbiculares iridis, quas Tu, Vir Perillustris! tanquam non ens merito rejicis, statuit, sed illas nondum demonstravit. Dixit in homine pro subtilitate non posse conspici, in majoribus vero animalibus, hæc autem mihi non sufficiunt, si viderem crederem. Membranam duplicem retinæ non poteram satis contemplari, earum altera s. interna, quæ vitreum respicit, ex innumeris vasis & subtilissima cellulosa rete ea connectente constat; altera seu exterior quæ choro idem contingit pura puta est medulla nervi optici. Paradoxon quidem videtur, quod radii transeuntes illam interiorem partem retinæ ex innumeris vasis constantem antequam ad alteram medullosam verum visus organum perveniant visum non turbent; hoc sane explicari nequit. Narravit Albinus se aliquando paradoxon hoc s'Gravesandio proposuisse, atque partes præparatas simul monstrasse, iste diu eas contemplatus tandem tranquillo respondit animo: Vides hancce membranam vasculosam retinæ ante medullarem positam, per quam radii necessario transire debent, novi vero ex posteriori hominis nihilominus clare & distincte videre, hinc concludo hancce membranam vasculosocellulosam visui non obesse neque radios turbare. En totam solutionem. Notissima res est aditum ad Albinum ejusque museum esse perquam difficilem, & quemadmodum olim non cuilibet

cuilibet licebat ire Corinthum, ita non cuique licet privatim ſpectare gazophylacium ejus anatomicum. Spero tamen fore, ut mihi hoc qualecunque fortunæ contingat. Cl. Gaubius qui Te Vir Perilluſtris! plurimum ſalutat, ſubiratus ei eſt, quod erga affinem ſuum Wachendorfium etiam cavillationes exercuerit; cum nuper de hiſce cum ipſo confabularer litibus, Gaubius dicebat mihi: credo equidem Albinum jamdudum membranam iſtam pupillarem in homine vidiſſe, ſed forſan pro morboſa & præternaturali ipſam habuit parte, nunquam enim, quod certiſſimum, in prælectionibus ſuis mentionem ejus fecit, neque in tot Collegiis manuſcriptis a plurimis auditorum ex ipſius ore exceptis ne γρῦ quidem de hac membrana invenitur. Hora undecima idem Cl. Gaubius experimenta chemica inſtituit quibus ſedulo interfum, idem laudatiſſimus Vir hora ſecunda pathologiam explicat. Hora tertia Allamandum audio Hiſtoriam naturalem ad ductum muſei Academici, quod inde a ſex retro annis juſſu defuncti principis colligi inceptum fuit, explicantem. Hora quarta Cl. Winteri Collegium caſuale & practicum frequento. Ex horto Academico ut plantas decerperem Cl. Royenus Vir ad miraculum humanus copiam mihi dedit, quo pacto Herbario meo haud mediocre accedit incrementum. Liber Anglicus Dni. Ellis de plantis marinis cum figuris pulcherrimis propediem Belgica & Gallica lingua in publicum prodibit,

posteriorem versionem curat Cl. Gronovius, priorem vero D. Allamand, qui solis interpretationibus operum aliorum in orbe litterato inclarescere cœpit, idem etiam versioni ex Italica lingua libri pulcherrimi Veneti cujusdam nomine Donati operam dat, qui de variis marinis tractat. Albinum juniorem sæpius invisо, qui Te Vir Perillustris! summa colit reverentia, Tuique aliquoties in demonstrationibus suis anatomicis publice summa cum laude mentionem fecit. Nescio an jam ad Te pervenerit libellus quidam Anglicus anno demum præterito impressus, cujus Autor Te refutare conatur.

Königius noster Hagensis, cujus lites cum D. de Maupertuis nunc inde ab aliquo tempore silent, mox Dynamicam Leibnitii in publicum edet, ejus vero discipulus Hentzius novam editionem Euclidis cum commentariis parat. Cæterum spero Te Vir perillustris! salvum ac sospitem, & thesauris botanicis ex itinere Valesiaco, de quo in ultimis Tuis mentionem fecisti, rediisse.

Dabam L. B. die 8. Junii 1756.

10.

MARCUS ANTONIUS CALDANI.

QUanquam experimenta eaque multiplicia a Te, Vir Clarissime, ac præstantissime, circa irritabilitatem & insensitivitatem instituta,

tuta, nullum de iisdem dubitationi locum relinquant; (ita enim, & immortale Nomen Tuum & longa experimentorum ſeries & ſumma in experiendo peritia atque ſolertia jure ac merito poſtulant): attamen quia a Laghio noſtro publico Medicinæ Bononiæ Profeſſore (viro quem certe in rebus Anatomicis & Medicis magni facio) repetita, diverſum habuere ſucceſſum, & veluti in dubium revocata fuerunt; factum hinc fuit, ut ipſe ſummo experiendi percitus deſiderio, quonam fato contigerit, ut tantum in experimentis diſcrimen intercederet, intimius, quoad fieri poteſt, perſcrutari auſus ſim. Multa propterea animalia ad id opus ſelegi, multaque in iis experimenta inſtitui jam jam typis evulganda, & tuo magno nomini (quod ut libenter probes vehementer obteſtor) inſcribenda. Scias interea in omnibus experimentis a me captis præclariſſimi inventi tui veritatem ubique enituiſſe: tamen in tentaminibus circa duram meningem factis phænomenon unum contigit, de cujus explicatione Te Virum clariſſimum ſciſcitari opportunum eſſe duxi.

In canibus itaque, atque hædis, avulſa per terebram aliqua alterutrius oſſis parietalis parte, dura meninx vel ſectione, vel laceratione, vel cauſticis, vel candenti ferro, vel alio modo vexata, inſenſitivitatem ſuam eo loci ſatis ſuperque ſignificat. Secta in orbem per totum illud ſpatium, quod a terebra para-

tum fuit, ſi qua parte cranio contegitur, inter ipſam & corticalem cerebri ſubſtantiam paullisper compreſſam, & pia matre obductam, vel cauſticum, vel ignis, & quidem diverſis locis, & vel prope terebræ foramen, vel remote ab ipſo, admoveantur, ſenſu omnino caret. Verum tamen ſi tenue ſpecillum iis in locis adigatur, &, determinata contra duram meningem preſſione, agitatur paullisper ſpecillum, non ſecus ac titillando perficeretur, quatitur animal, caudam agitat, caput attollit, ululat ſi canis, balat ſi hædus ſit. Id fere ſemper contigit. Mirabar quod quæ pars, ignis vel caulticorum actioni abſque ſenſu fuerat, modo titillatione vexata ſenſitivitatem indicaret. Hic autem dubitare cœpi, num forte, ſpecillo agitato, aut cerebrum plus nimio compreſſiſſem, aut vaſcula dilaceraſſem diverſis locis piam matrem cum dura connectentia; atque adeo ſucceſſionem in cerebro excitaſſem. Quapropter idoneo inſtrumento chabybeo, tres ferme Pariſienſes lineas lato, nedum tertiam lineæ partem craſſo, inter cerebrum & duram meningem introducto atque ultro adacto ad duas lineas & amplius leniter comprimebam cerebrum; qua compreſſione modo quatiebatur animal, modo non; ſic cavi ne cerebrum ſpecillo comprimerem, neve vaſcula lacerarem, adeo ut qui poſtmodum effectus conſequeretur, cauſis modo dictis minime tribui poſſet. Mora interpoſita, qua animal ad quietem deduceretur, iterum titilli-

tillitationem tentavi, intra limites tamen ab inſtrumento circumſcriptos; & ecce ſigna doloris fere ſemper præſto fuere, tumque præſertim cum ſpecillum eas partes tentabat, quæ erant ab orificio aperto remotiores: dixi fere ſemper, etenim neque in omnibus omnino punctis id contingebat; fere nunquam vero ad ſecti cranii oras, vel prope ipſas. In tanta, quod a me attinet rerum obſcuritate, quid affirmandum, negandumve ſit non video. An forte nervi accuſandi, per duram matrem repentes aliis partibus deſtinati? An per titillationem oſcillatio quædam in tota meninge dura excitatur, qua ad nervos uſque, e cranio mox egredientes, propagata, dolor inde excitetur? Non obſtat certe duræ matris cum cranio cohæſio: Nam novum non eſt in phyſicis ſolidorum corporum, aliis licet ſolidioribus corporibus adhærentium, particulas oſcillare, etiam cum leniter percelluntur. Hæc autem omnia hærens atque dubio propono & conjectando potius quam affirmando. Quod cum ita ſit, Tuum eſto, Vir præclariſſime, judicium. Hac autem de re ita enixe obſecro, ut neque enixius, neque majori ſtudio rogare quiſquam poſſit. Siquidem non arduum multum, ac laborioſum tibi futurum puto; eadem methodo unum vel alterum experimentum capere, ut de tanto phænomeno certior fias; Tibi vero, vel abſque experimento, phænomeni rationem reddere expeditum erit. Faciet autem reſponſum Tuum, Vir Clariſſime, ut

quæ circa irritabilitatem, & inſenſitivitatem tentare hactenus auſus ſum, aut ſub tanti Viri auſpiciis in lucem prodeant, aut quaſi tanto nomine indigna ſepulta maneant. Vale, interim Phyſicorum decus, Teque univerſæ litteratorum reipublicæ diligenter ſerva.

Dabam Bononiæ III. Kalend. Jul. Anno 1756.

II.

BENET.

NE abuterer facilitate & humanitate Tua paverem multum, niſi Litteris Tuis certior eſſem factus ubique patere cumulatos ſcientiæ Tuæ theſauros: nec ſane optabilius quidquam mihique honorificentius unquam contingere potuit, quam hancce Tuam epiſtolam accepiſſe, quæ propalam ponit illa rationum momenta, quibus potiſſimum innittitur tota irritabilitatis idea. At vero dicam ne? Ita prorſus dicam, & dicam abſque ulla offenſionis Tuæ ſuſpicione; quæ colligis argumenta, rebellem non expugnarent animum.

Haud poſſum legiſſe quæ ſcripſit Albinus, cujus operibus tabernam ſuam ornari negant hujus urbis Bibliopolæ. Verum qua ratione nitatur, ut vim neget a nervis accedere, non ſatis intelligo. Plura vidi experimenta, & innumera, ut ita dicam, tuo libro colligas, quibus

quibus invincibiliter demonſtratur ex irritatis nervis maximas muſculorum convulſiones oriri; unde ſect. IX. pag. 23. deducis, quod ſane conſectarium eſt, a nervis eam vim accedere, qua violenter muſculi coutrahuntur. Ut ſuam tueatur ſententiam; experimenta Tua, aut concluſionem iſtam negat Albinus, neceſſe eſt. Utramvis autem elegerit, induxit ſe in captiones, quas nunquam explicabit.

Fateor equidem dari quædam animalium genera, in quibus caput aut nervi a diligentioribus naturæ ſcrutatoribus nondum obſervata ſunt. Nolim tamen inde abſque capite & nervis ea credere: mea quidem ſententia, hæc animalia iis partibus ſuo modo donantur & inſtruuntur. Id ſane accurata confirmari poteſt analogia: Si enim perfectioribus animantibus huc uſque cognitis ſuum caput, ſuoſque nervos natura largita eſt, quare & iſtis imperfectioribus non conceſſerit? Præſertim cum minus legitime negari videantur hæ partes ex obſervationis defectu: non enim hoc argumentum ubique receptum iri exiſtimo: non obſervatur, ergo non datur.

Interim ultro fatebor haud accuratas eſſe analogias omnes; verum, aut ego fallor, admitti tunc debent legitimæ, cum ex altera parte non adeſt ſufficiens negandi ratio. Si ergo minus recte negari caput & nervos in imperfectioribus hiſce animalibus oſtendero, quod jam me præſtiturum puto; accurata erit, quam tuli, analogia. Deinde hæc animalia vivunt, nutri-

untur, quædam inſectantur, ſentiunt: Si ſint propter polypum duo corpuſcula, quorum unum cibum præbeat, alterum jaceat inutile lignum; hoc neglecto, illud polypus aggreditur, vorat. Iſta autem peragi ne poſſunt abſque objectorum animadverſione, aut hæc animadverſio abſque ſenſu, ſenſuſve abſque nervis exerceretur?

Itaque nullum animal abſque capite & nervis eſſe, ac proinde muſculorum motus independentes a nervis nondum demonſtratos fuiſſe puto. Quod ne præſtitiſſe quidem mihi videntur pariter argumenta ex inteſtinorum exciſorum, cordium evulſorum, muſculorum quorum nervi ligati fuerant, formicatione, contractione, reptatione deducta. Si enim ex irritatione nervi compreſſi, ligati, aut a medulla ſpinali vel cerebro reciſi muſculus, Te docente, experientia duce, eadem vi contrahatur, quæ contrahi ſolet, dum nervus cum iis partibus libere communicat; cur irritatis nervorum ramuſculis per ſubſtantiam muſculorum diſperſis, nolim horum contractionem tribuere? Haud veriſimile videtur orbari ea virtute nervorum ramuſculos, qua truncos gaudere adeo certum eſt, ut hoc theorema innumeris demonſtretur experimentis, quæ circa nervos tum mentis imperio ſubjectos, tum etiam vitales a Te ipſo inſtituta ſunt.

Quæ ſit mea mens, quis mihi ſenſus, perſpicis procul dubio, Vir Celeberrime, veritatis amor, ut Te diſquiram, impellit; cur iſta

reſcribam, hæc tota & unica ratio: non enim eo uſque temeritatis & audaciæ elatus eſt animus, ut velim contentionis tentare fortunam. Quid imbecillis & inermis columba poſſet, in undique fulminantem Jovis alitem? Aliunde moverent me eorum exempla, qui certamen inire tecum aggreſſi ſunt; quorum omnium hic ſolus triumphus Te victore ceſſiſſe. Velim itaque non ægre feras, quod mihi ſumſerim, ut hæc pauca reponerem; id te benigne conceſſurum confidenter ſpero comitate & benevolentia Tua fretus. Interim humillimas ago gratias, & animi memores & ſinceriſſimos affectus in æternum voveo.

Dabam Monſpelii d. 7. Julii 1756.

12.

MARCUS ANTONIUS CALDANI.

NOllem Tibi moleſtus eſſe Vir præſtantiſſime; & quia fortaſſis minus clare mentem meam primum expoſui, non eſt propterea in cauſa humaniſſimum reſponſum Tuum, ſi adhuc priori vexor dubitatione. Scias ergo me non introduxiſſe ſpecillum inter cranium, ac duram meningem, ſed inter hanc & piam, tuncque faciem internam duræ meningis velli-caviſſe. Mihi equidem conſtabat nullum ſpatium cum inter cranium & duram meningem

tum

tum inter hanc & piam, a natura paratum fuiſſe: Verum quæſo ut in memoriam revoces, prius me compreſſiſſe cerebrum ope inſtrumenti neque pungentis neque ſecantis, ſed plani ubique, atque obtuſi, ita ut inter inſtrumentum, & internam duræ meningis faciem, ſpatium relinqueretur tres lineas latum, & duas ſaltem lineas profundum. Tunc animali ad quietem omnino deducto, ſpecillum in hoc ſpatium adigebam, & blanda preſſione contra duram meningem, nihil vero contra inſtrumentum, adeoque neque contra cerebrum, vellicabam ipſam internam faciem duræ meningis, qua vellicatione fere ſemper animalibus (præſertim hædis) dolorem intuli. Remoto ſpecillo, ſi iisdem locis vel candens ferrum, vel cauſticum admovebam, nullum tunc vel ſenſus vel motus indicium adſpiciebam.

De hoc Phœnomeno rationem, Vir præclariſſime, ex Te poſco, rogans etiam atque etiam, ut vel per Te ipſum vel per aliquem ex tuis Cl. diſcipulis experimentum illud inſtituatur. Hoc unum eſt in univerſo atque admirabili ſyſtemate tuo, quo fruſtra me conor expedire: Cætera tam conſtanter ex voto ceſſerunt, ut mirer ad modum Thomam Laghium, in epiſtola nuperrime edita, potuiſſe omnia tam libenter in dubium revocare. Quæ ego de irritab. & inſenſitiv. partium hum. Corp. experimenta inſtitui, jam, ut in priori mea Epiſtola expoſui, typis emendare decrevi: ut vero iis pondus atque auctoritatem comparem, ſinas

ſinas quæſo ut ſimul, & alteram meam, quam ad Te feci epiſtolam, & Tuam, quam nunc exſpecto humaniſſimam reſponſionem, cum experimentis in lucem proferam.

Dab. Bonon. d. 27. Julii 1756.

13.

JOH. GOTTFR. ZINN.

ANte octo dies iterin Sylvam Hercyniam montem Bructerum & Altenſtollberg inſtitui ſatis felici ſucceſſu. Non ſolum enim plurimas & imprimis in M. Altenſtollberg omnes a Te olim ibi lectas reperi, ſed nonnullorum etiam loca natalia auxi, & prioribus plantis Hercynicis addere licuit Scorzoneram latifoliam ſinuatam, quam maxima copia ſponte naſcentem reperi in pratis inter Elbingerode & Ilefeld ad ſemitam ſolis peditibus aptam, cum Laſerpitio fol. cordat. aliisque plantis Hercynicis, quæ Scorzonera eo gratior fuit, cum nec Tibi nec Ruppio ſpontanea in his Germaniæ regionibus viſa fuerit. Sed Collegia hoc ſemeſtri finienda nimis breve tempus mihi promittentia reditum nimis urgebant, ut plura loca adire aut longius illis immorari non licuerit. In reditu ex relatione de vero loco natali Betulæ nanæ, & Saxifragiæ albæ petraceæ Ponæ certior factus ſum, ut altero anno Sylvas Hercynicas iterum adire cupiam.

Göttingæ die 28. Julii 1756.

14.

14.

JOH. BAPTISTA MORGAGNUS.

VIX a Cl. Pontedera, qui te officioſiſſime ſalutat, ſiccas Orchides, & inter duos aſſerculos, ne quid in itinere detrimenti capiant, ab ipſo locatas accepi, cum in faſciculum compingendas curavi, libros quosdam recens editos continentem, præter duos quos optabas, id eſt Intieri de perfecta frumenti conſervatione & Tabarrani Anat. obſervationes 2^dus^ edit. quorum utrumque inde uſque ubi impreſſi fuerant, patere neceſſe fuit, cum alibi non proſtarent, quamobrem ſerius ad meas pervenerunt manus. Is faſciculus ſuperiori menſe per Cl. Paſtam Bergomi Oreliis traditus fuit, ut Tigurum ad Ottios mitterent, conſtanter enim viam illam eandem ſervo, quam a principio indicaſti. Mercatores vero, quibus faſciculi traduntur ad me Tui, non raro mutant, unde fit, ut tardius Bergomum perferantur: quem enim ineunte Martio a te miſſum ſcripſeras, vix tandem accepi hodie, neque accepiſſem, niſi ad Paſtam nolentem omnino recipere ob iniquam, vel ſi Tabellarii attuliſſent, petitæ pecuniæ ſummam, diſerte reſcripſiſſem, daret quantumcunque peterent, In eo cum faſciculis, quorum alterum ad Baſſanum, alterum ad Plancum (qui de cœrulea urina Epiſtolam ad te mittit, quam indicatis libris adjunxi) cito per-

perferendos curabo, novam libri Tui de irritabilitate editionem, & commentariorum Göttingenſium Volumen IV. inveni, quod cum I°. olim a te miſſo, conjungam. Volumina autem III. & IV. Chirurgicarum Diſputationam jam antea alio in faſciculo acceperam. Pro quibus omnibus magnas Tuæ humanitati gratias ago.

Porro libenter intellexi, poſt V. Chirurgicarum Diſputationum Tomum, de Practicis te cogitare: & libentius, quæ de Tuo iconum Faſciculo VIII. & Phyſiologiæ Tomo I°. ſignificaſti: ægre autem quæ de melìori fortuna dignis, ... & Zinnio reſcripſiſti. Nos ereptum nobis egregium Chirurgum, optimumque virum Benevolum non ſecus dolemus, ac ſi non perſenex obiiſſet. De Martinii in Euſtachium commentariis nihil audiveram; raro enim in Italiam inde uſque libri perferuntur, & rarius, ſi forte Anglice ſunt ſcripti, ut illum puto.

Vale, Vir Ill. noviſque inventis communia ſtudia augere perge.

D. Patavii nonis Auguſti cIↃ IↃ C C LVI.

15.

MARCUS ANTON. CALDANUS.

IGnoſce quæſo homini, qui cum effata Tua ita veneretur, ut venerari magis quiſquam non poſſit, ægre fert quod in maxima experimento-

rum copia, quæ novam omnino ſcientiam Tuam, Vir præclariſſime, confirmant, unum ſuperſit, quod dubitationem ipſi non levem moveat.

Ex Litteris die 15. Auguſt. datis audivi, Te ad experimenta circa duram meningem in fele, & cuniculo properaſſe, & interiorem duræ membranæ faciem vellicaſſe, abſque ullo animalium ſenſu. Cum vero & conſtanter mihi contigerit dolorem ita movere, & nondum in felibus aut cuniculis experimenta cæperim, placuit ad opus iterum accerſere. Ergo felem juniorem nactus, exciſa parte cranii, & ſeparata dura meninge, per totum iliud ſpatium quod ſectione paratum fuit, ſpecillo in gyrum ducto interiorem duræ membranæ faciem piæ obverſam vellicavi, modo anterius, modo poſterius, interdum ad latera. Semper tamen cum animalis dolore, præcipue dum internas cranii inæqualitates oſſeas attigi. Idem contigit clariſſimis Viris, Algarotto, Molinello, Veratto aliiſque, qui experimentis hiſce interfuerunt. Admovi deinde ignem variis locis, verum fruſtra pro dolore movendo. Iterum vellicavi, & dolor præſto fuit.

Me non latet nullam videri cauſam, aut ex theoria aut ab experimento, cur ſenſilis ſit in facie interiore, non vero in exteriori. Scio nullos eſſe nervos per duram membrancm diſperſos. De hoc me alias monuiſti, & monuerat Clariſſimus Zinnius Tuus, ſuis experimentis circa corpus calloſum, in diſputatione anatomica a

Te,

Te, Vir præclariſſime, edira. In hos nervos vel ipſe nuper fruſtra inquiſivi: tamen phænomenon mihi conſtans eſt, neque rationem video, cur titillatio dolorem moveat, non vero ignis, vel cauſticum.

Video quod, terebrando cranium, animal conquatitur tunc cum terebræ corona in os deſcendens ſtridorem edit, non ſecus ut dentis limando dolor movetur: an id vero ab oſcillatione meningis duræ ad nervorum initium uſque propagata, an a cerebri ſuccuſſione pendeat, definire non audeo.

Experimenta mea lucem exſpectant. Ob id unum in tenebris adhuc latent, Te unum Liberatorem expoſcunt.

Vale Litteratorum decus, & me, ut ſoles ama.

Dabam Bononiæ die 29. Auguſti 1756.

16.

MARCUS ANTON. CALDANUS.

QUamvis pericula circa duram meningem facta aliter mihi evenerint, tunc ſolum cum interiorem ejusdem membranæ faciem vellicaverim; arbitror inde tamen nullo modo infirmari ſententiam Tuam, Vir Celeberrime! atque etiamſi Te non admonuerim de exitu ex-

perimentorum, quorum methodum in litteris Tuis poſtremis expoſuiſti, ſcias interea velim me experimenta iſta feciſſe. Contigit enim iterum ac tertio, ut in terebrando cranio oſſea lamina tenuiſſima perforanda ſupereſſet, quam, non trepano, ſed acu recurva perforare placuit; detecta hinc exigua duræque membranæ portione, hanc acu pertudi, deinde leviter acum inter utramque matrem introducendo cavi ne cerebrum comprimerem, atque ita interiorem duæ meningis faciem vellicavi, omnino abſque animalis ſenſu. Repetam tamen experimentum.

Audiam libenter ſi recte mentem Tuam ſum aſſecutus, cauſam cur pulmo cum ſua arteria & vena ſe inter venam cavam cum Aorta continuatam interponat. Niſi adſecutus ſim recte mentem Tuam, id imperitiei meæ in litteris Tuis perlegendis velim tribuas. Hac de ratione fortaſſis fruſtra expectavi commentariorum de irritabiliteat & ſenſibilitate partium, & de motu ſanguinis novam editionem, quam viſus es polliceri ex lit eris die 15. Aug. datis.

Toſetti epiſtolam ineditam accepi. Ipſa cum mea typis eſt mandanda. Obſervationes continet de nervorum progreſſione in tendinem, & duram meningem, quos nervos fruſtra ipſe Toſettus inquitivit, & icones tradit. Cæterum tam nervoſe Laghio reſpondet, ut melius reſpondere quiſquam non poſſit, niſi ex Te reſponſio prodeat. Sex atque octuaginta experimenta

circa

circa tendines quatuordecim, circa pericranium multa, circa duram meningem, cerebrum, pleuram, peritonæum, inteſtina, ventriculum, veſicam & cor epiſtolam meam componunt. Obſervaoiones addidi de nervorum progreſſione in tendines & duram matrem, non tanti profecto faciendas, quanti illas Toſetti. Epiſtola hæc tamen mea triplo fere longior eſt altera.

Prodibit ergo Toſetti epiſtela cum mea, Italico pariter ſermone conſcripta, ſtatim ac impreſſæ erunt. Nondum tamen impreſſio cœpta eſt. tum quia bibliopola tres ſaltem menſes impendendos eſſe exiſtimat pro impreſſiones tum quia quinquaginta ſaltem nummos aureo, pro tanto, ut ipſe inquit, labore requirit. Litem tamen brevi componam, quæ immo hodierna die in qua hæc ſcribo compoſui. Gratum facies ſi experimentorum Tuorum ſummam, una cum collectione Gallica aliorum experimentorum tandem mittas per mercatorem, qui primas epiſtolas meas Tibi reddidit. Inter cetera, magnum opus Tuum expecto, quod ſub initio operis Tui de primis lineis phyſiologiæ policitus fuiſti. Interim vale, Tuamque valetudinem integram ſerva. &, me, ut ſoles ama.

Bonnoniæ die 19. Octobris 1756.

17.

URBANUS TOSETTUS.

Nihil mihi unquam tam gratum accidit, tam que honorificum, Vir Clariſſime, quam cum Tuum de motu ſanguinis opus, mihi a Te dono miſſum, nuper accepi, Quod gratum mihi adeo fuerit, & honorificum, tria effecerunt, operis nempe pretium & præſtantia, auctoris nomen & dignitas, accipientis tandem humilitas & obſcuritas. Quis enim ſum ego, qui nullius in litteraria republica nominis, ad tuam mihi benevolentiam conciliandam nulla Tibi oſtendere poteram ſcientiæ merita? Nihilo tamen minus ita Tuam abjicere voluiſti dignitatem, ut ignotum Tibi hominem ac prorſus obſcurum tanto dignareris honore. Scilicet ad Toſettum oculos ſuos humaniſſime convertit Hallerus ille, qui ſui nominis celebritate poſteritatem jam omnem coæquavit. Tametſi vero ex ſcriptis Tuis jam diu contendo cognoſcere quantus ſis, hoc unum cognoſco, me ad Te penitus cognoſcendum omnino imparem eſſe Itaque non habes in Toſetto, Vir Clariſſime, juſtum Tui æſtimatorem, ſed admiratorem duntaxat & ineptum laudum Tuarum præconem. In familiaribus meis cum ſuaviſſimo Baſſano, aliorumque amicorum coetu, colloquiis, id ſæpe uſurpare ſoleo, quod neſcio utrum Tua adæquet merita, & in litteratorum ſubſelliis dignitatem: te nimirum

magno

magno Neutono ita comparo, ut quantum illi philoſophi omnes & mathematici debent, tantum tibi philoſophos ipſos, anatomicos & medicos debere cenſeam. Sicut enim ille mundanæ hujus machinæ ſyſtema concinnavit leges, quibus illud regitur, dèfinivit uno verbo dicam, novit mundum; ita tu admirabile humanæ machinæ artificium detexiſſe, partium omnium compagem atque conſenſum deſignaſti, paucis complector omnia, noviſti hominem. Neque ſane quod mundi machinæ humani corporis machinam magnitudine longe ſuperet, laudem tuam & operis laude Neutoni & opere ſuperari quis arbitrabitur: immo quanto magis hæc machina exigua præ illa eſt, tanto difficilius æſtimabit opus, & laudem cumulatiorem. In anguſta enim humani corporis provincia infinita fere ſunt, eaque minima, eaque conferta & conglobata: quorum ſingula, dum ad perturbandam harmoniam plurimum valent, nec negligi poſſunt, nec ſatis obſervari. Hic nullæ certæ periodi, quibus natura eamdem ſemper ſe prodit, recurrentia phænomena ſtatis temporibus exhibent: nullus fere certarum legum uſus, quarum face præeunte quid eventurum ſit facile poſſis præfinire: nullum vel ſaltem ſatis exiguum, ex calculo & geometria, quam mirifice calles, adjumentum, quandoquidem humana magis, quam lunaria, *numerorum frena recuſant*. Neutonus tandem machinam contemplari

& evolvere aggreſſus, ad æternitatem & ordinem, quam nulla hominum vis invertere poſſit, aut labefactare, a ſapientiſſimo artifice fabrefactam: tu vero nedum contempiandam & evolvendam ſet etiam ſartam tectam ſervandam, ſi fieri poteſt, ſuſcepiſti machinam ad perturbationes natam & ad interitum. Hæc autem dico, non ut Neutono, cujus gloria ultra teli jactum jam poſita eſt, vel laudis tantillum detraham, vel Tibi, Vir Maxime, fucum faciam; ſed ut ſaltem intelligas, te dum tua in me munera contuliſti, margaritas ante porcos, üt in veteri proverbio eſt, non projeciſſe. Nullum hactenus de poſtrema hac tua circa motum ſanguinis lucubratione, quam & avidiſſime perlegi, & ſummo pere admiratus ſum, feci verbum. Sed cum tertiæ jam epiſtolæ hujus meæ pagina proceſſerit longius, tibi faſtidium creare nolim. Hoc unum dicam, magnum Hallerum, qua obſervationum ubertate & diligentia, qua rerum novitate & copia, qua mentis acumine & vi, in ea ubique ſe prodere, atque ita micare, ut ſi ſupreſſo nomine ad meas forte manus perveniſſet, Hallero ſtatim eam adſcripſiſſem auctori. præterea nemini. Phyſiologiæ Tuæ deſiderium nos angit vehementer: faxit Deus per otium & valetudinem Tuam, ne diutius nos angat. Cura ut valeas, Vir præſtantiſſime, & reipublicæ bono te ſerves incoalumem. Quarta epiſtola mea

ad

ad Valdambrinum, jam dudum Bononiam missa, sub prælo, si vera nuntiant, jam est. Iterum Vale.

Dabam Romæ decimo Kalend. Novemb.

A°. 1756.

18.

LUDOVICUS PALLIANI.

CUm opus fuerit hic Romæ tuam Vir celeberrime sententiam de partibus insensibilibus ab iis vindicare, quæ contra eamdem Laghius depromebat ex tentaminibus a se Bononiæ factis, libuit Cl. Viris Bassano & Tosetto mea uti opera, in observationibus anatomicis hanc ad rem spectantibus instituendis. Fateor lubenti animo me hoc onus suscepisse; cum enim experimentis anno elapso captis veritatum a te detectarum firmitudinem apertissime noverim, anxie optabam ad trutinam anatomicam ea revocare, quæ Bononiensis Auctor proferebat, ut si firmo non starent talo illico refelli possent. Id totum, quod inde colligere mihi licuit, expositum videbis in quarta epistola Rev. P. Tosetti, quæ in initio proximi Novembris e prælo prodibit. Hæc duas continet tabulas ære sculptas, quarum una designat chordam magnam cum vaginis extra naturalem situm positis; altera exhibet integram faciem posteriorem cruris a me Bononiæ paratam. Notatur hic integer decutsus magni nervi ischiadici, cujus

cujus illa præcipue filamenta, quæ ad Achillis tendonem deferuntur, qui fieri poſſit accuratius proſecutus ſum, oculo etiam acuta lente inſtructo; nec ea, uti vult Laghius, in tendinoſam ſubſtantiam inſerebantur, ſed hinc inde ludebant, & membranis circumpoſitis non penetratis ad cutem flectebantur: prout viderunt Baſſanus, Toſettus, aliique. Examinandam pariter ſuſcepi duram meningem, ad ipſam nervos delatos non vidi, ſi unam vel alteram excipias decimi paris tenuem productionem, quæ ſupra eamdem membranam excurrit. At hæc omnia exacte expoſita videbis in reſponſione a Toſetto ad Laghium facta, quæ ſtatim ac prodeat, curabit Baſſanus ut ſtatim ad Te deferatur.

Meas, quæcumque ſint anatomicas recenſitas obſervationes ſapientiſſimo judicio Tuo ſubjiciendas volui, ratus, quod Tu Vir præclariſſime poſtquam eas expenderis, ſi quid erroris irrepſerit, me monitum facias. Miraberis fortaſſe me licet nullo pacto Tibi cognitum litteris hiſce te adivlſſe; at ſcias velim, non alia de cauſa id feciſſe niſi, ut ſummam, quæ afficior erga te venerationem, Tibi patefacerem. Hac itaque ductus Te, Vir præſtantiſſime oro obteſtorque, ut Tua utaris erga me humanitate, & diu valeas.

Dabam Romæ nn. 8. bris 1756.

19.

JULIUS CÆSAR MORENIUS.

ANtequam dilectiſſimus Seguierius amicus noſter Italiam deſereret, Plantarum Veronenſium catalagum, quem a te Viro clariſſimo & illuſtriſſimo acceperat, mihi communicavit, atque commiſit ut earum exemplaria tanto citius quam fieri poſſem pararem, & tibi mitterem. Sed cum perpauca exemplaria tunc mihi in promptu eſſent, hinc factum eſt, ut per aliquot menſes expeditionem retardaverim. Tandem Veronenſium plantarum faſciculum mitto Domino Joh. Geſnero, ut eum Tibi tradat quam primum.

Attamen, Vir clariſſime! non omnes quas exoptas plantas accipies; nam etſi hoc anno Baldum montem inquirendarum plantarum cauſa conſcenderim, fruſtra nonnullas perquiſivi, cum non omnes plantæ uno vigeant tempore. Anno futuro procul dubio quæ remanent Deo dante mittentur.

Nonnullas ut videbis adjeci mihi non eſſe notas, & de quibus ſententiam tuam maximi faciam. Salices alpinas numeris 20. 21. & 22. ſignatas conſpicies, quæ mihi prorſus ignotæ ſunt, & cum in Baldo monte reperiantur, eas probe cognoſcere mihi præcipue in votis eſt. Gramina quibus numeri 40. ad 45. affixi ſunt, partim in agro Veronenſi, partim in Hetruria colle-

collegi, nec apud Auctores quos evolvi descripta, vel effigia adhuc mihi videre contigit.

Si Plantarum Helveticarum, vel Exoticarum exemplar aliquod tibi supersit, & mittere potes, rem facies mihi perquam grātam,

Interim, Vir clarissime & illustrissime vale, & si qua in re mutua officia reddere possum, præcipias obsercro, nam operam dabo ut intelligas quanti tuam humanitatem, & benevolentiam faciam,

Dabam Veronæ die xxx. Octobris MDCCLVI.

20.

ACHILLES MIEG.

SErius, quam par est, Vir perillustris, ultimis Tuis litteris jam D. 15. Maji ad me datis rescribo, cujus equidem moræ variæ causæ sunt. Inter alia nempe id differre visum est donec. orchides desideratas vel saltem aliquas illarum simul transmittere possem, quarum veroeas, quæ circa æstatis initium florent, frustra quæsiveram, licet iteratis tum vicibus locos ipsarum natales a Te & Casp. Bauhino indicatos perlustrassem, unico illo loco excepto, quo Orchis barbata fœtida J. B. a Casp. Bauhino créscere indicatur, nempe ad Rhenum *bey der Baar*, quem locum suo quidem tempore adii, debito vero modo neque tunc neque alio tempore

pore absque periculo perlustrare potui, quod Rhenus ultra mediam æstatem, quod alias fieri raro solet, continuo permagnus fuerit. Quin autem Orchidem autumnalem illam odoratissimam, quæ autumnali tempore in pratis Michelfeldensibus crescere dicitur, debito tempore quærerem, negotia quædam practica non negligenda tunc prohibuerunt, quæ non permiserunt, ut tunc vel per dimidium tantum diem ab urbe abessem. Doleo itaque, Vir celeberrime, me hac in re, prout equidem voluntas mihi fuisset, inservire Tibi non potuisse, atque id Te non ægre laturum spero,

Cogor etiam in catalogi plantarum Trajectinensium missionem in aliud tempus differre, utpote quem, ut exactiorem mitterem, denuo integrum examini subjicere nondum potui; id quod tamen hac hyeme horis successivis faciam, atque tunc, si eum transmisero, supplementum recensionis rariorum plantarum circa Basileam nascentium adjungam, quarum præter jam indicatas, varias non adeo vulgares in diversis excursibus, qualem etiam in montem Farnsburg feci, æstati prægressa reperi. Interea vero donec hæc præstare potero, continuationem catalogi graminum Basiliensium, quorum partem jam in priori catalogo recensui, transmittere visum est, quam heri, una cum plerisque graminibus in ea recensitis, currui publico traditam crastino die accipies. Quoad ordinis autem rationem & reliqua, eadem

dem in ea ſcribendi obſervavi, quæ jam in præcedentîbns meis litteris monui.

Inſitio variolarum tandem etiam hoc anno apud nos inchoata eſt, celeberrimis quidem Bernouilliis eam primo ſuadentibus, me vero eam effectui dante; id quod forſan jam a Cl. Tiſſoto comperiſti. Hactenus autem tria tantum capere experimenta licuit, quorum Hiſtoriam Vir modo laudatus proxime forſan Mercurio inſerendum curabit, ſi equidem eam in literis ad ipſum datis perſcriptam inpreſſione dignam cenſebit.

Experimentum electricum ſat curioſum, & aliquando forſan generi humano aliquam utilitatem allaturum, a Cl. Daniele Bernouillio & Mechanico noſtro Dieterich, hic ante aliquot jam menſes captum eſt, cujus, quam tua attentione non indignum videatur, enarrationem ſubjungam: Laudati nempe Viri, ut Electriſationis vim in corpora recens mortua, in quibus tamen nulla pars ad vitam abſolute neceſſarium graviter læſa, ſed tantum ſanguinis circulario ſuffocata eſſet, experirentur, anatis caput per quartam circiter horæ partem aquæ ſubmerſerunt, obturatis naribus, donec penitus ea ſub aqua eſſet ſuffocata, nec ullum vitæ ſignum in illa amplius appareret. Poſtmodum detractis circa cordis regionem plumis, ei, magnæ tabulæ vitreæ bracteis ſtanneis utrinque obductæ impoſitæ & vi electricæ ope machinæ imbuta, loco plumis nudo, poſtquam per 4. aut 6. circiter horæ minuta ita ſuper tabu-

tabulam penitus exanimis jacuiſſet, percuſſionem dederunt, quo facto caput ſubito in dorſum rejecit anas, dein lente idem in altum ſuſtulit, & reliquum etiam corpus commovere ſenſim ſenſimque cœpit, tandemque poſt dimidiam circiter horam elapſam vires jam penitus rurſus recuperavit, ita ut poſtea æque prompte ac ſocii circumcurreret. Idem experimentum poſtea rurſus cum anate itemque cum porcello captum fuiſſe comperi, ſed non eodem cum ſucceſſu, quum ſubitus quidem in iis motus excitaretur, vita vero poſtea non continuaret, quod bis repetitæ atque nimis forti percuſſioni tribuerunt. Vix tamen dubito, quin ſæpius id experimentum etiam in aliis animalibus ſit ſucceſſurum, ſi pro ratione pertinaciæ vitæ, in variis animalibus varia percuſſio inſtitueretur; atque ea quidem res repetita experimenta ſatis mereri videtur, quum & in hominibus ſubmerſis, exhalatione aliqua noxia ſuffocatis, ſubito terrore mortuis aliiſque, tale experimentnm alicujus uſus eſſe poſſet, ſi antea, quam ſanguis a ſtagnatione nimium coagulatus aut putredine jam reſolutus eſſet, illud inſtitueretur. Saltem id ſententiam tuam de cordis motu a ſola irritatione pendente pulchte confirmat.

Vale, Vir præclariſſime, mihique, nt hactenus feciſti, porro favere perge.

Dabam Baſilæe D. 10. Nov. 1756.

21.

ACHILLES MIEG.

AVidus poſt lectas litteras Tuas expectavi & magna cum voluptate evolvi plantarum alpinarum faſciculum, demum poſt litteras dictas Montbelgardo acceptum, pro quo gratiſſimo dono plurimas Tibi gratias ago. Id enim eo acceptius mihi fuit, quod vix una alterave illarum plantarum mihi hactenus cognita eſſet, utpote qui nondum ipſe in Alpes iter fecerim, nec unquam adhuc plantas earum incolas dono acceperim, ut adeo Herbarium meum ejuſmodi plantis tantum non penitus caruerit. Reperi autem inter alia in eo faſciculo plantulam quandam aquaticam mihi adhuc ignotam, quam circa Hilteliganm hac æſtate etiam a me repertam, hic adjeci, ut verum nomen ejus ex Viro celeberrimo diſcerem, utpote cui in dicto faſciculo falſum nomen Lentibulariæ vulgaris Vaillanti, aliena quidem, non Tua, manu adſcriptum erat,

Sententia Tua de plantis prima vice Tibi tranſmiſſis benevole mecum communicata, ſimiliter plurimum me Tibi, Vir celeberrime, devinxiſti, quod exinde ex una parte errores quoſdam corrigere, ex altera multa dubia ſolvere didicerim. Pergratum ideo erit, ſi idem olim feceris circa Gramina nuper Tibi ttanſmiſſa. Quum vero ea te ob gravia negotia hac hyeme nondum evolvere poſſe ex Tuis litteris intel-

intelligam; percuperem interea nomen tantum ſcire pulchri illius graminis, & novi forſan, quod, adjecta deſcriptione fere nimis prolixa, pro Phalaridis ſpecie tranſmiſi, ut & alterius ab initio Poarum abſque nomine deſcripti. Id vero, ſi commodum Tibi erit tantum fiet.

Experimenta electrica ad ſuſcitanda animalia facta Tibi placuiſſe gaudeo. Scribis, Vir Perilluſtris, Te ſimilia in vacuo facturum, qualia ſi aliquando occaſio dabitur etiam hic inſtituendi, Tibi memorare non omittam. Id vero iſto hyemali tempore vix fieri hic poterit, quum conclave hujuſmodi phyſicis experimentis deſtinatum, quod, uti noſti, ſuper apparitorium eſt, non calefieri poteſt. Satis autem commode, uti credo, talia inſtitui poterunt cum parvis animalibus, avibus ex. gr. ea tamen adhibita cautione percuſſio illis nimis fortis detur, quum talis noceat, ſiquidem parva animalia ejuſmodi percuſſione etiam ſubito enecantur, in qua re id ſatis mirum mihi viſum eſt, quod eodem etiam momento totum corpus penitus rigidum reddatur.

Baſileæ D. 20. Nov. 1756.

22.

CALDANUS.

EN Haller celeberrime, quartam Toſetti epiſtolam. Exemplar quod per D. Somiſium

accipies, rude eſt, quoniam primum illud eſt quod ex prælo prodiit; & una cum aliis epiſtolis in eamdem rem excudi debet. Quapropter epiſtolæ qualiſcunque neque initium invenies, quæ ſtatim ac impreſſa erit per Somiſium pariter habebis.

Ipſo hoc tempore, in quo hæc ſcribo, humaniſſimam tuam accipio, quæ me ſummopere recreat, atque reficit; ad Ill. Palianum epiſtolam tuam ſtatim mittam.

Ne mireris quæſo, celeberrime Vir, eorum hominum conſilium, qui veri famam oppreſſam volunt. Mirandum quidem ſibi eſſet, ſi, ut mihi tempus eſt longam epiſtolam conficiendi, ita idem tempus in magnis negotiis Tuis Tibi ſupereſſet, pro ea patienter perlegenda. Id unum ſcias velim, me tum mediate tum immediate injuriis non raro vexari.

Ex alteris humaniſſimis Tuis audivi, Te in ovo incubato multa detexiſſe, quæ non Malpighius noſter; gratiſſimum erit, ſi ea potero Academiæ noſtræ, quæ & Tua pariter eſt, communicare.

In peritonæi decurſu perluſtrando proxime tempus impendi. Quæ peritonæi pars Diaphragma obtegit ſubtus renes, ut mihi videtur, propagatur. Cellulоſam, ſeu adipoſam membranam, quæ renes cingit, ex parte emulgentium vaſorum cultro diſſeco; deinde digitis renes, & ſupra & infra hac membrana liberо: Videtur autem in progreſſu dividi ſimul perito-

peritonæum, quod ſub abdominis muſculos decurrit pro ſacco conficiendo.

In multis cadaveribus nuper vidi umbilicales arterias ex iliaca interna prodire ad angulum acutum, deinde paullatim incurvari, & ſic, in earum progreſſu ad umbilicum, arcum deſcribere.

An me ſenſus fefellerint, nec ne, a te ipſo, Vir præſtantiſſime audire cupio. Juvenis, cum adhuc ſim, conſilium ideo immaturum, viresque imbecilles mîhi ſunt. Addiſcendi autem, non vero docendi deſiderio teneor. Tu autem inter omnes docere me potes.

Libellis Lauſannæ gallice verſis careo. Eos tamen ſumma cum voluptate perlegi, quoniam avus meus Manfredius, nuper accepit. Gratiſſimum tamen erit ſi per D. Somiſium mittes. Tu interim ſi cares duobus poſtremis Academiæ noſtræ libris, quorum unus adhuc ſub prælo eſt, ſtatim operam navabo ut habeas. Vale, Vir celeberrime, ac Præſtantiſſime, Teque ipſum homini ſerva, qui occaſionem arripere vellet non fama tantum, ſed vultu ipſo, Phyſicorum decus, & ornamentum agnoſcere,

Dabam Bononiæ die 21. Decembris 1756.

23.

STEPH. JOAN. PET. HOUSSET Filius.

PRomiſſis fideliter ſtare feſtino, celeberrime Vir, obſervationes tnm pathologicas, tum practicas, deſcriptiones morborum & conſilia, quæ meis a majoribus jure hereditario lætus accepi, hac & ſequentibus in epiſtolis communicare Tibi, confidere ac offerre mihi propoſitum eſt: huicce proli, pro qua vocem nunc mitto vere paternam, hactenus dimidiori & abditiſſimæ, amicum ſi præſidium attuleris, quanto afficiar gaudio, verbis vix exprimere poterit meus haud immemor animus; ejus etenim cauſam ago tanquam meam, tu felix, ſi tuam captans benevolentiam, eam mihi conciliare, tuumque pro iſta progenie ſuffragium ambiens illud aſſequi valeam. A pathologicis Stephani Houſſet avi mei obſervationibus exponendis juxta propoſitum ordinem, initium facere arbitror ad alia dein tranſiturus.

In morbis corporumque apertionibus ſelecta quædam ex obſervationibus Stephani Houſſet D. Med. Monſp. Noſcomiorum medici ordinarii Altiſſiod. praxim habentis A°. D^ni 1689. atque ætat. 20.

OBSER-

OBSERVATIO Ia.

Anno 1691. Nobiliſſima D. Gorget vidua N. D. Marie Reg. a ſanctioribus Conſiliis in curia Altiſſiodorenſi prætoris primarii, temperamento ſanguineo jam propter ætatem ad melancholicum vergente donata, habitu corporis qui craſſo erat craſſior & pinguior a menſibus ter repticatis (ſic), quæ fiebat, incidit in febrem continuam cum paroxyſmis ad veſperam ſolite exaſperantibus, ſtipatum dolore renum maximo, torminibus inteſtinorum atque borborygmis inappetèntia & imbecillitate virium ad ſyncopen tendente cum motu tremulo identidem muſculos infeſtante in vanum tentata; venarum ſectionibus in brachio & pede, clyſteribus emollientibus, purgantibusque remediis ptiſannis, ſyrupis, aliiſque huic morbo convenientibus; obiit tandem undecima die a decubitu, & aperto cadavere, inventus eſt lapis magnus in pelve renum ex utroque latere, & abſceſſus proxime in ulcus degenerans factus in medio meſenterii, unde ſymptomata ſupra recenſita derivare me licet.

OBSERVATIO IIa.

Initiante Decembri menſe Anno 1698. Doma. Boirot uxor Domini Preaudeau in curia Altiſſiodorenſi procuratoris, ab annis circiter octodecim tuſſi moleſta humidaque cruciata ſtatimque a progreſſu difficultate reſpirandi ten-

tata cum rubore faciei continuo permanente temperamentum sanguineum redolens, incidit in febrem continuam serotinis horis acerbantem periodicam, ne quidem concomitante pulsu intermittente sed pleno & duro cum dolore lateris levi, majori vero inter scapulas, leviorique pectoris oppressione & sputo frequenti, largo nec tincto sed albo, celebratis apposite phlebotomiis in utroque brachio ex utraque mediana & iteratis ad plenitudinem morbi urgentem statum & vites ex saphena, concessis itaque bechicis ptisannis aperientibus refrigerantibusque, clysteribus atque purgantibus; quanquam dicta remedia pro instanti ægrotantem solarentur, augmentante autem febri sine stertore, nec aeris tractione violenta, ingruente septimo die extincta est, & aperto corpore repertæ sunt pulmonis vesiculæ ex utraque parte sanguine crasso tumefactæ cum pauca sanie, inter hæc tubercula ob deficientem sanguinis motum a febrili calore contracta, reliqua vero in pectore sana, & quamvis latere in dextro pleuræ plus esset adhærens nequidem pleura erat inflammata, sed integra in substantia & qualitate. Aperto dein abdomine præter jecur obstructum auctum in magnitudine & alteratum in colore ex cæteris velim bene putes, & sic est perfecta peripneumoniæ peculiaris relatio, quæ quoniam a longo contracta, consummatis partibus ad respirationem dicatis ægra erat ad necem incurabiliter & necessario ducta.

OBSER-

OBSERVATIO III[a].

Domina Thierriat ex conventu unionis christianæ Altissiodorensis sodalis facta viginti per annos colico dolore maximoque laborabat, cujus causam inter Medicos quidam flatibus intestina & stomachum dilatantibus referebant, ex eo quod temperamento melancholico esset prædita, juxta illud dictum, melancholici vulgo sunt flatulenti, alii colicam reputabant nephriticam ob dolores renum, nauseas, vomitus, urinas limpidas & tenues excernere solitas, ego vero balneo propter tription itaque frustra usurpata remedia, doloresque acriores ægram ultra conceptum qui agitabant, febrem lentam excrementaque, ex relatu ægrotantis parulenta quæ apparuerant atque iterum animo revolutis remediis corroborativis a mandatis nocentibus præterea frigidis, ægram abscessu proxime in ulcus evadente tentari determinaveram quod ulcus putabam esse in mesenterio, cum tamor in stomacho ad tactum esset insensibilis. Apertione tamen cadaveris facta stomachus repertus ex parte posteriori ulceratus, & ob ulcus perforatus, ita ut alimenta in abdomen transmissa ultimam regionem impleverint quæ taliter repleta & redundantibus succis, brevi & successu temporis & tibiis & consibus inflatis, pectore inundato ad guttur usque transmissus est, humor, donec diluvio enecaretur die 22. Mensis Aprilis Anno Domini 1693.

OBSERVATIO IV^ta.

Practico ordine ad Observ. hujusce generis transmittenda.

Ex Parochia S^ti. Peregrini adolescens Pourot nuncupatus, vere jam vergente decumbebat febri continua detentus, cum dolore lateris, tensione in abdomine, tractu aeris velociori tussi identidem humida recurrente ac verminosa ejectione in bilioso ventris proflavio. Celebratis juxta vires & morbi exigentiam venæ sectionibus iteratis clysteribus cum lacte & saccharo, prescriptis pariter ptisanis, emulsionibus etiam & victus regimine conveniente, vidit æger diem decimum quartum morbo nequidem declinate depressis, tamen naribus: itaque tam contumaciter perseverante malo ruit in pejus, purgamentum leve cum manna ægro proposui, quo capto remissa febre, terminato dolore lateris, ventreque molli stante, nihilominus contra spem æger delirabat, quod delirium suspicari minime potueram, toties antea sedatis perfecte sensibus, & ad causam symptomatis tam extraordinarii, quum sufficienter cogitassem statutum est mihi, symptoma illud causari a materia verminosa, mannæ dulcedinem intra vasa circulatoria ad cerebrum usque veluti prosequente; nam quisque experientia notum habet materiam hanc dulcedinis esse amicam, vermesque amaro qui cedunt remedio, subdulci e contra ad intus attrahi,

rrahi, ſecundum veterum mentem. Meo ſic firmato judicio, purgamentum amarum, cum ſenna rhabarbaro ſyrupoque cichorei compoſito confectum, propinandum ægro juſſi, quo propinato melius in melius ſe habens ad perfectum ſanitatis gratum, Deo juvante pervenit, & hæc curatio intra diem decimum octavum perfecta eſt.

OBSERVATIO V^ta.

Pathologica quæ eſt.

Initiante Novembri menſe Anni 1693. DD. des Joyes uxor vidua D D. Burgede mei conſanguinei in præſidiali curia ſenatoris, temperamento melancholico extinctione ſpirituum animalium ſeu calidi, ut ajunt innati, obit & exceſſis pectore & abdomine viſum eſt pulmonem, parte thoracis ſiniſtra fuiſſe penitus corruptam, ſanieque redundantem; ex parte autem dextra vitium ad talem auctionis gradum nequidem perveniſſe: cæterum de reliquis hac in regione corporis integritas relucebat cuodad abdomen ſeu ventrem infimum ſpectat, non contaminato rene dextro ſiniſter erat inflammatus, materiamque purulentam, licet in parva quantitate intra ſe recondebat, veſica urinaria ita erat reſtricta, ut vacua cavitas putaretur ejuſque ſubſtantia erat in ſcirhum degener uterus induratus ad tactum perſentiebatur & obſtructus, ventriculum ſicut & inteſtina

ſtina colore naturali penitus defraudata replebantur, tumeſcebantve cibis ab octo diebus ſumptis ac incoctis nequidem in omni genere nec quocunque modo digeſtis & alteratis : reliquæ vero partes tam parerchymatoſa quam aliæ alterius naturæ, ſicut & cerebrum atque cerebellum, corruptionem ac morbum quanquam non admiſerint,ægram tamen a morte non ſervarunt, Annotetur mulierculam hanc a dolore mariti emortui nequidem fuiſſe reverſam, potumque cum ploratu & ſuſpiriis tempore viduitatis mulſiſſe continuo : ante tres menſes duplici tertiana laboreverat, qua curata febri non ſine medici ſtudio per menſes binos convaleſcentem duxit vitæ ſtatum, donec vindemiarum temporis adventu a victus regimine recederet uteretur racemis, vinoque tunc temporis mulſo dicto, unde languens evaderet, evenirentque identidem irregulares febris periodi ; a febre tamen venæ brachialis ſectione & purgatione liberata incidit in languorem,cum balbutie linguæ, oculorum caligine & motu eorum inſolito ructuum ventorumque excluſione, imbecillitate cordis, retenta urina gravitate totius corporis unde nec diureticis, nec cardiacis nec fortioribus ad reſtaurationem cibis reſtaurari poſſet, & ſic non tam organorum ſolidorum deliquio & fluidorum quam defectu ſucci nervoſi, ob maſſam ad exceſſum incraſſatam, extremos dies in Chriſto finivit. Cauſa mortis pulmonis haud fuit exulceratio, ſiquidem in dextro illius latere quod erat adhuc reliqui,

haud

haud integre inexulceratum. Non febris etiam mortem festinavit, remediis solitis cum sanata fuisset, nulloque symptomate stipata præter tristitiam, non ren. neque vesica, inflammatione levi corruptione incipiente restrictione, induratione massam crassam subsequente quæ afficiebantur: verum necis illius insolitæ causa in subjecto nondum ad senectam provecto & ætatem 46. sortiente fuit privatio caloris seu spirituum & succorum activitatem cruoris excitantium, organaque in certa dispositione ad fermentorum secretionem necessaria, ac digestionem retinentium, unde cruor nimium incrassatus moram habens solito majorem in sanguiferis vasis veluti pondus corpori adjiciebat, & sic tota animalis turbata œconomia, principiis activis deficientibus, ventriculus succo alimenta dissolvente fraudatus, vagansque plenus huc & illuc secundum cætera ob motum corporis sensum dolorificum procreabat, distentione ligamentorum ejus, pulmo itaque fatigatus, tardiori circulatione thoracis oppressioni locum dabat tandem ab usu deficiente animal expiravit, expirare enim dicitur quod subsidentibus pulmonum partibus spiritumque vitalem æthereum non admittentibus, extremus spiritus veluti organorum omnium cessatione foras fuerit transmissus. Rara est hujus historiæ species quæ pro futuro utilitatem suam in prælectione exhibitura est. Ecce Vir celeberrime, quinque observationes quas oculis tuis & judicio millenis illustrato subjicere in

hae

hac epiſtola non dubitavi, aliis vicibus ſequentes non minus curioſas proſequar, te tibi ſincero animo devinctus amplectar ſinas, Vir humaniſſime qua libertate haud hercle uterer niſi te optimum, de omnibus bene merentem mihique faventem a longo tempore cognoſcerem, valeas tuaque feliciter agere pergas deum maximum deprecor.

Dabam Atiſſiodori A°. 1757. die 6ª.

24.

JOH. GOTTFR. ZINN.

PEr Cel. Michaëlem faſciculum plantarum cum Targioni plant. rarior. Pedemont accepi, pro quo ſuaviſſimo dono maximas ago gratias. Centuriam autem plant. nov. Linn: data occaſione ſtatim faſciculo a van den Hœkia ad Te miſſo addidi,

In proximo conventu Soc. Sc. Gött. legam ſermonem de motu pupillæ & de Glandula lachrymali oculi humani, ſemper enim video præter glandulam vulgo notam in foveola oſſis ſtontis latentem, & a conjunctiva remotam, aliam a priori diverſiſſimam illiusve ſubjectam, quæ tamen tecta ligamento tarſeo Winslowi & compoſita ex plurimis lobulis ſecundum longitudinem ſibi appoſitis ad oram pal-

palpebræ pertingit, & a facie interna tenuiſſima conjunctiva tegitur, ubi & nonnulli poruli apparent, qui ſtatim ad proximam glandulæ ſubſtantiam abeunt, ut non ſit, cur de ductibus lacrymalibus ſolliciti ſimus; cujus quidem glandulam nullam ullibi memoriam invenio.

Doceas me velim, annon in adverſariis Tuis notaveris; ſanguiſorbam tetraſtemonem officinalem habere ſtamina tubo floris æqualia; & an Pimpinella tetraſtemon, ſpica ovata, foliis ovatis, ſerratis diverſa ſit a Sanguiſorba Canad. ſpicis longiſſimis: Duæ nempe ſunt ſpecies in horto, quarum altera ſpica breviorem ſaturate rubram, ſtaminibus tubo æqualibus, altera ſpicam longiorem, dilute rubram ſtaminibus tubo longionibus habet, quæ a Linnæo omiſſa videtur.

Catalogo horti addam iconem plantæ, cujus calyx cylindricus fere uncialis ex ſquamis rotundis denſe imbricatis compoſitus, corolla radiata, flores in radio feminini abeunt in ligulam obverſe oratam emarginatam, flavam immarceſcibilem, & inſiſtunt ſemini longo triquetro nudo, flores in longo cono ut in Rudbeckia ſemen habent ſimile, ſed longe bicorne. Semina paleis excepta: folia integra oppoſita: facies Helianthi aut Rudbeckiæ; ab utroque taman genere differt floribus radii femininis & calyce. Ni omnia fallunt novi generis nomen meretur.

D. Klærich in nov. litt. omnes doctos petit, ut obſervationes de inſomniis hominum ab ipſo inde partu cœcorum cum illo communicent.

Göttingæ d. 29. Jan. 1757.

25.

MARCUS ANTONIUS CALDANI.

Iconem Toſetti noſtri jam, ut opinor, accepiſti, nunc epiſtolam qualemcunque meam, Ex qua ſi demas, quod opportunum Tibi videbitur, vel ſi ipſi addas, quod libuerit, gratiſſimum mihi erit. Cum vero ex humaniſſimis Tuis audiverim quatuor tautum academiæ noſtræ volumina Te poſſidere, hac eadem occaſione quintum volumen mitto. Sextum ſub prælo eſt: prodibit vero menſe Majo adventante & ſtatim ad Te perveniet.

Titulum Directoris Academ. Boruſſic. delere nunc impoſſibile eſt, Collectio Romæ edita me fefellit; in illius etenim præfatione non tantum, ar vero in ſecunda quoque Toſetti Epiſtola, titulus hic occurrit.

Si naſcitur invidia in hominem remotas habitantem arenas, certe mirandum minime eſt ſi vitari nequeant concivium inimicitiæ. Hæc tamen tot ſunt, ac tam magnæ, ut occaſionem aveam, aliunde ducere dies: eoque magis deſideaium hoc meum increſcat, dum conſidero quod

quod nullo præmio ductus, dies noctesque medicinam, chirurgiam, atque anatomen trado.

Repetam obſervâtiunculam de peritonæo renibus circumvoluto, transverſorum muſculorum tendine ut opinor, decipere non potuit; hic enim ſplendet, & tenſus eſt. Præterea quæ peritonæi pars diaphragma ubique contegit, omnino ſubtus renes decurrit, iisque adhæret.

Quatuor abhinc annis pericula feci in arteriis coronariis cordis. Paulo poſt accepi aureum opuſculum Tuum, Vir Clariſſime, cui titulus: Lineæ primæ Phyſiologiæ: valdequœ ſum lætatus ſententiam meam ubique cum Tua conſentire. Annus jam excurrit, quod manuſcriptum hoc Viennam miſi, ut in lucem prodiret: de hoc etenim Roboretani academici me pluries ſciſcitati ſunt. Nondum tamen, quod ſciam, impreſſum eſt. Niſi permoleſtum Tibi foret, libenter, ut legeres, curarem per Ill. Somiſium ut haberes, atque ita de eo judicium Tuum proferres.

Prodiit in lucem epiſtola Dominici Vandellii Profeſſoris Chirurgiæ Patavini filii, qua conatur pulcherrima inventa Tua de ſenſitivitate partium reprobare. Dixi, *conatur* quia dum id præſtare ſtudet, ut mihi videtur, non præſtat. Quicunque ipſum, & illos, qui cum eo pericula fecuerunt, ut mihi, duobus abhinc Annis datum fuit cognoſcat, certe vel non reſpondebit; vel ſi reſpondebit, ut Maupertuſius in ſexta edit. Ven. Phyſic. de cenſuris contra

hunc

hunc libellum editis Bibliopolæ reſpondit; omnino reſpondebit.

Qui Bononienſes ſententiam Tuam Vir clariſſime, conantur evertere, invenerunt, in vitulis, duræque matris nervos, a quinto pari prodeuntes non minores optico nervo humano. Idem præſtiterunt, in Achillis tendine. Felix Fontana Roboretanus (qui mecum innumera Tua merita veneratur, Tibique ſalutem plurimam dicit) amicus meus & ſocius in periculis huc uſque factis, ad illos nervos obſervandos vocatus fuit: Verum icones tantum vidit, non vero præparationem: de hoc judicium Tuum eſto: vellem tamen, dum poteris ut in vitulis obſervationem eandem eaudem inſtitueres, meque de eventu admoneres.

Exemplar alterum epiſtolæ meæ ad Te mitto, ut Zinnio tradas illuſtri, eumque hoc pacto de mea erga illum æſtimatione, atque Benevolentia ſumma certum facias.

Franciſcus Zanottus Academiæ noſtræ a Secretis, cum audiverit Te carere volumine quinto Comment. Acad. Bonon. Volumen ipſum mihi dono dedit, hacque occaſione ſalutem Tibi plurimam dicit.

Vale Phyſicorum decus; ves Tuas age feliciter, & me ut ſoles, ama.

Dabam Bononiæ d. 29. Feuruar. 1757.

P. S. Scias velim, quod in fronte Opuſculi mei conſcribetur Horatianum illud

- - Nobilium ſcriptorum auditor, & ultor.

26.

BENET.

NOvem circiter abhinc menſibus ad me ſcribere de vi muſculorum irritabili, dignatus es: ſi prius, ut decebat, ad Te ſcripſerim, quo urbanitatis & benevolentiæ Tuæ memorem me præberem, veniam, obſecro, dabis; haud licuit per morbum diuturniſſimum, & ſummo periculo plenum.

Quanta ſit Phyſiologiæ tuæ majoris hic omnium expectatio, vix poteſt verbis attingi: opera quibus eruditum ditaſti orbem, cum omnibus ſuis numeris expleta ſint, ſumma horum admiratione omnes moti ardentiſſimo illius deſiderio flagrant: concupiſcunt Candidati, Doctores, Profeſſores, Practici; nova & ante hunc diem inaudita ſperant; & jam uno ore glorioſe prædicant. Quantum ego interea ardentiori hac omnium affectione delector, noſti, ſi meum in Te ſummum ſtudium, ſummamque venerationem intelligas.

Cæterum, ſtat Tibi ſententia, Vir Illuſtriſſime, contrahi poſſe fibram muſcularem abſque ullo influxu nerveo. Hoc in litteris mihi perquam honorificis, gratiſſimiſque duplici argumento confirmas. 1°. Quod nervo in artu ligato motus, qui tamen ſupereſt, deberet deſtrui; eum ſenſus minus certe poſtulans roboris nervoſi pereat. 2°. Arguis ex analogia polyporum, quibus licet nihil ſit

capiti & nervis ſimile, exquiſitiorem irritabilem vim poſſident, cum brachiis ſuis lucem percipiant,

De iis, quid ſentiam, pro tua in me ſingulari benevolentia, ſilere me nolles; dicam ergo lubenter paucis; & ſi quid erravero, in viam ut me reducas, obteſtor.

Nervo igitur ligato partem pro voluntatis imperio non moveri, certum eſt; vis tamen nervoſa, quantum obſervatione attingitur, integra remanet: irritetur infra ligaturam nervus, tuæ ipſius experientiæ docent; in tantos tunc partem cieri motus, ac ſi liberum eſſet cum cerebro commercium. Ligatura igitur imperium quidem voluntatis in partem tollit; vim autem nervoſam non deſtruit. Hoc tamen temporis diuturnitate præſtare non inficior: nonne vero ſimul vis muſculorum irritabllis perit? Hoc ſane veriſſimum; experientia hoc me ſemel docuiſſe videtur, pluribus adhuc pro data occaſione tentandum. Si res ita procedat, demonſtratam, quam tueor, ſententiam exiſtimo.

Quod autem impedit quominus voluntas agat in partem, id idem obſtat, ne facta in parte oppreſſio ad ſenſorium commune deferatur. In hoc autem omnes conſentiunt, nullum dari ſenſum, ubi nulla in ſenſorio communi agit impreſſio. Cum igitur liberum cum cerebro commercium ſemper requiratur ad ſenſum, vis vero nervoſa, quæ ad muſculorum motum impeditur, hoc ſublato ſuperſit, ligatura

gatura perire ſenſum neceſſe eſt, etſi ideo vis nervoſæ deſtructio non ſequatur. Hæc qui advertit, ei mirum non erit, vi a nervis tranſmiſſa moveri ſtimulatum muſculum, cujus ſenſus omnino periit.

Quod deinde dicis tantam ineſſe polypis vim irritabilem, ut ſuis brachiis lucem percipiant, hoc ſane plura probare videtur, quam intendas: hinc enim lucis perceptionem in iis a vi irritabili pendere ſequitur: hinc in iis idem eſt ſenſus & motus principium: cur igitur idem non dicam de homine? Cum vero in homine ſenſus omnis principium ſint nervi, motum omnem à nervis pendere conſequens eſt. Vel e contra. Si in iis animalibus ſenſus a vi irritabili pendeat, quare non in homine? Contrarium tu ipſe aſſeris, poſſetque facile demonſtrari, neque rejici poſſe videntur eæ analogiæ, quin ſtatim corruat, argumentum motus ex iis animalibus pari analogia deductum.

Præterea mihi perſuaſum eſt, ad ſenſum quemlibet, lucis perceptionem puta, ſuum eſſe dicatum organum, quo deficiente, ſua non ſequitur ſenſatio. Lumen intra nares admittitur? Irritatur quidem membrana pituitaria, ſternutatio ſæpius excitatur, lux vero nunquam percipitur. Si oculum ſubeat nicotianæ pulvis; validiſſime irritatur oculus, ſubortis lacrymis convellitur, agitatur, concutitur, nec ideo pulverem odoratur. Itaque quantacumque fiat irritatio, quantacumque ſi

vis irritabilis, ſi pars ſenſationi cuidam non ſit deſtinata, hæc nunquam exurget. Non ergo ob majorem vim ſuam irritabilem polypi brachiis ſuis lucem percipere videntur, ſed ob organiſmum quemdam luci percipiendæ accommodatum, adhuc incognitum, quem tamen abſque nervis eſſe, aut organis horum vicem gerentibus, vix credam, quæ ut ad ſenſum neceſſaria, ita & ad motum inſerviunt.

His ſuperſedeo, quæ, niſi fallor, mentem meam ſatis aperiunt. Interim, qua cœpiſti benevolentia, eadem erga me in poſterum agere nuſquam Te pigeat; laudi ſemper ego ducam, & inter officia mea cenſebo ſummum Tibi ſemper honorem, obſervantiamque deferre.

Dabam Monſpelii die 2ª. menſis Aprilis 1757.

27.

HOUSSET FILIUS.

OBSERVATIO VIta.

DOmicella Boullard, avuncula mea in ſodalitio ſororum unionis chriſtianæ Altiſſiodorenſis, temperamento partim ſanguineo melancholico conflicta, certo organorum ſitu & diſpoſitione partium corporis ad motum muſcularem localem, loco motivumque inconſtans, cum eſſet à primordiis vitæ, uſque ad annum quadrageſimum tertium, in quo ætatis anno noctu

noctu correpta eſt catarrho ferino, ſeu ſuffocante, nec mirum, cum eſſet pectore ex cunctis lateribus anguſto, taliaque individua annum quadrageſimum quintum difficulter tranſgrediantur; ego compulſus tandem ad ægræ ſolatium, enemata irritantia fortioraque ſolitis ac purgantia comprobavi. Adventante matutina die, facta eſt venæ ſectio in brachiali vaſe; iterumque poſt aliquas horas, in eodem die, remedium confectum eſt propter plethoram, vires robuſtas & oppreſſionem thoracis urgentiſſimam; his turbatis nullum ſolatium, & fruſtra allatus eſt clyſter ex decoctione communi, & unc. ij. vin. emet. immiſſo illo enemate, ſupervenientibus motibus convulſivis, imminente ſuffocatione, in vanum etiam abſorpto per os vino emetico puro, dum vigerent vires, ſurſum vinum emeticum ad unc. ij. in unc. iv. decoct. fen. orient. unc. ij. per os dedi; quo dato, effectus ſequutus eſt bonus, & propter tanti mali auctionem minime exſpectatus, imminuta itaque, finitaque febre, motibuſve convulſivis atque oppreſſione, ægra conſpiciebatur veluti ad ſanitatem penitus reverſura; attamen ad ſtupidum imbecillemque tum corporis, tum ſpiritus ſtatum converſa eſt; audito denique & continuo dum tuſſiret certo quodam ſono illius conſimili, qui intra veſicam aquæ repletam & commotam excitari libet: hac in imbecillitate corporis manſit per menſem unicum; quo tempore elapſo ſine febre, & cum uſu remedio-

rum

rum aperientium, reſtauratiumque ciborum ex omni genere, accidente ad veſperas circiter unica febris periodo, cui ſudor interveniret, cum ſudore renovatis convulſionibus, poſtrema amandavit in cœlum ſuſpiria circa finem menſis Februarii, anno Domini 1692.

Nequidem ſingularis ac rara eſt morbi hujus ſpecies; verum imbecillitas effectum ex remedio ſubſequens, rariſſima eſt; & profecto ad ſanum ſtatum ægra omnino fuiſſet converſa, ſi membrorum exercitio uſa fuiſſet: etenim ex concuſſione corporis vino emetico cauſata, propria cruoris activa ſpirituoſave una cum excrementis per anum in ſucceſſu avolarant, unde circulatio ejus retardata incraſſataque, nec ſecretionem ſucci nervoſi permittens; e contra vero ob craſſitiem humorum nervorumque principiis in cerebro compreſſis, ſenſim ac ſine ſenſu diſſolutio propriorum accederetque una cum præcenſitis.

OBSERVATIO VII^ma.

Multis pro paſſionibus inter ſe diſparatis, oppoſitos animæ perſentit motus; aer equidem, cibus vitæ qui dicitur occultus, hetetrogeneis tamen ſi alteretur particulis, venenum potius quam vitam importat; verum enim totius compoſiti contraria cum ſint principia, non idem ſtatus, dolenda ſi quæ eſt tantorum hæc malorum altercatio, in humano corpore doleat potius, ſi quis amet; corpus, inquam,

inquam, hominis tot eſt aggregatum partibus, quot motibus agitatum; unde permirum videre eſt, quod per momentulum in uno ſtatu quieſcere queat, merito itaque novercæ nomen natura ſibi vindicat; genus tale ex labili materia ſtruere quæ non deſignavit, fracturis in dies creſcentis ruinæ continuo reſarciri quæ non poteſt, exemplum patebit in morbo ſequenti.

Nobilis D^a. de Marigny Nivernenſis quinquagenaria, nequidem temperamento ſimplici, ſed & ſanguineo, pro ætate partim etiam melancholico donata, deficiente Majo menſe an. 1695. febri duplici 3^ana. continua laborabat, ſtipata ſiti magna, irregulari quodam horrore initiante febris periodo, dolore in tota abdominis regione, præcipue circa lienem cum tenſione in imis illius regionis partibus ac pectoris oppreſſione; ex his ſymptomatibus febrem comitantibus, recte ſuſpicari decebat in toto infimi ventris concavo non ſolum phlogoſim, ſed & inflammationem puram latitare, febremque ſupra enuntiatam inflammationi acceſſiſſe, non conjecturæ, ſed & demonſtrationis erat taliter opinari, cum de calore ſummo, dolore ac duritie abdomini conqueſta eſſet ægra tam ſubitæ inflammationis cauſam referre nuſquam potui, niſi ſucco pancreatico, bili etiam, aliiſque alterius indolis ſuccis coctioni deſtinatis, ſed vitiatis, & fervorem maximum in partibus inflammatis procreantibus, cui incendio ac fer-

fermentationi conferre quidquam aeris malignitatem cruorem ægræ coagulationi aptum & viſcera ejus obſtructionibus dicata non denegaverim. De hoc affectu primo viſui, licet peſſime, judicaveram; attamen, ut artis eſt, venæ ſectionibus in ſupernis infernisque vaſis ſecundum vires, febrem ſive putredinem; affectus enarrati curationem tentare præſcripſi, clyſteribus equidem non neglectis refrigerantibus, emollientibus bilem etiam purgantibus, ptiſanis appropriatis, ſimiliterque confectis ſirupis & victus regimine; ſed in vanum labor iſte, quum febre ſymptomatibus exaratis ſupra adauctis, intra quartum diem ad cœlum ægra extremos amandaverit ſpiritus, & obdormierit in Domino.

Medicus ad curationem evenire dum deſperavit, quidquam ad ſolatium dare, ut paracletus dictus eſt, merito ſperat; conſolationis modus aptiſſimus, indicare eſt adſtantibus cauſam inſanabilis affectus: corpus igitur modo emortuum aperire juſſum dedi; quo aperto, primum indolentibus abdominis partibus, vidimus jecur obſtructionibus plane farcitum, & ita quantitate auctum, ut ad lumbos ſiniſtros, inſolitum quod eſt, perveniret; verum amotandum eſt, ægram lienem clamitantem ob doloris ſitum, inſciam attamen jecur clamitaſſe; quoad reliquas partes, nec ſanæ profecto eſſent, cum dicta inflammatio illas delituiſſet ſic in abſceſſum univerſalem proxime degeneres. Præviſo ſic ventre infimo, me-

medium ſeu thoracem ſecuimus, præter phlogoſim in parte tam laterali quam ſuprema & infima nullum erat intra hujus concavi partem vitium, & ſic profecta eſt hujus anatomes relatio, morbique peſte pejoris conſolatio.

OBSERVATION VIIIme.

M^r. Martineau de la Villote, Conſeiller-Honoraire du Préſidiat & Bailliage d'Auxerre, à la ſuite d'une fiévre continue avec redoublement, ſans aucun déroutement d'imagination, ni vapeurs, ni convulſions, mourut environ dans le treizième jour de maladie d'une inflammation de l'abdomen, qui avoit été précédée & indiquée par une tenſion dans cette capacité, ſans douleur ni délire. On l'ouvrit, on trouva l'épiploon gangréné & très-noir, & les inteſtins enflammés; il n'y eut que quelques jactations de nerfs âpres le onzième jour, ce qui eſt dit de ſa fiévre: ce qui donna lieu à craindre ladite inflammation, que j'avois annoncée dès le ſept, & à laquelle M^r. Jodon qui le traitoit, ne vouloit trouver aucune apparence, prétendant qu'elle ne pouvoit être ſans délire: ce qui ne quadre pas avec l'expérience, puiſqu'on en trouve pluſieurs qui conduiſent les malades au tombeau, ſans que le genre nerveux en ait paru ſouffrir par l'altération des fonctions ſpirituelles.

OB-

OBSERVATION IXme.

" J'ai fait ouvrir l'épouſe de M^r. Martineau Subdélégué de M^r. l'Intendant de Bourgogne, laquelle mourut le onzième jour, à la ſuite de ſa couche, d'une fiévre continue avec redoublemens accompagnés de quelques vapeurs convulſives, qui l'avoient priſe avant le ſeptiéme jour de la fiévre, dans lequel je fus appellé; leſdites vapeurs avoient obligé la ſage-femme de la retoucher, qui lui tira pluſieurs grumeaux de ſang; quelques lavemens hyſtériques & laxantifs la ſoulagerent: depuis le ſept juſqu'au neuvième elle n'avoit ni délire, ni tenſion de ventre, ni irrégularité de pouls, ni oppreſſion; mais ſur la fin du neuf tirant au dix, ſur le ſoir la fiévre redoubla, le ventre ſe gonfla, la tenſion ſuccéda; puis après quelques agitations & inquiétudes accompagnées d'altération de l'imagination, elle finit dans ſon onze. On l'ouvrit, & on trouva la matrice gangrénée, avec un trou dans lequel auroit entré le pouce, approchant la corne droite de cet organe: ce qui étoit preuve qu'elle avoit été violentée dans ſon accouchement, & enſuite lorſque dans la vapeur ſuſdite la ſage-femme la toucha de nouveau.

J'ai l'honneur d'être avec la plus parfaite conſidération.

28.

JOHANNES VIVENTIUS.

CUm tanta in rem medicam Tua ſint merita, ut ob nova quotidie inventa ingentes Tibi medicus orbis gratias referat, majores etiam habere profiteatur, tum egregia illa Tua in rimandis naturæ arcanis ſolertia, & ſingularis humanitas, quæ me præter cætera impulerunt, ut ad Te hanc darem epiſtolam; cum enim doctiſſimam tuam de irritabilitate diſſertationem legiſſem, in qua opium inteſtinorum irritabilitatem deſtruere ſtatuis, non modo mihi pergrata contigit ſententia, ſed & periculum facere libuit. Rem ſic inſtitui: Catulis ad diem, quo hæc ſcripta ſunt, octo, drachmas opii duas ſingulis hauriendas dedi, quibus mox alto, ſtertoroſo gravatis ſomno, eos abdomen anatomico diſſecui cultro, uti periſtaltico inteſtina deſtituta motu obſervavi, quamvis illa cultri apice irritarentur; vaſaque per illorum tunicas, & meſenterium ſparſa, tnrgida apparebant. Obſervabam, antequam in apoplexiam incideret canis, pedes contremuiſſe; & quo magis invaleſcebat ſomnus, eo gradatim minui doloris ſenſum; ſtatis enim temporum inrervallis, cutem ſtilo irritabam. Calvaria reſerata, duræ, piæque matris canales valde diſtenti oculis ſeſe offerebant; quæ

omnia

omnia mirum in modum ſententiam tuam confirmant, atque hinc in aliam deferri videri opinionem, non in fluidis nempe, ſed in ſolidis ponendam eſſe pharmaci hujus operationem: qua in re graviſſimum judicium tuum expecto; jam diu enim in ejuſmodi perveſtigatione deſudo. Experimenta ſuper irritabilitate & ſenſibilitate in theatro heic anatomico inſtituta, feliciter ceſſere. Quando demum Phyſiologia tua, & Practicæ Diſputationes in lucem prodeant, ſignifica, quæ votis omnibus expeto atque expecto.

D. O. M. ſoſpitem Te diu, incolumemque Reip. Medieæ conſervet. Vale.

Dabam Neapoli iij. Kalendas Majas anno ɔIɔIɔCCLVII.

JOAN-

29.

JOANNES BAPTISTA BASSANUS.

NE mireris, Vir Celeberrime, ſi ego, Te quamvis ſciam, non obſervationum Phyſiologicarum tantummodo, ſed graviſſimis etiam Senatoriæ Dignitatis oneribus aſſiduo occupatum; audeam tamen hiſcè meis Litteris, Te advertente, aliquantiſper ab iiſdem muneribus removere; Tua enim mihi ſpectatiſſima fretus humanitate ad hoc ideo impulſus ſum, ut ſatis amicorum deſiderio facturus in iis, quæ exponenda mox ſuſcipio, ſapientem mentem tuam conſulerem. Cum paucis jam abhinc diebus medicorum hic Romæ degentium nonnulli domi meæ collecti forent, tulit occaſio, mentio fieret cujuſdam textus Hippocratici, cujus nerba erant quæ ſequuntur:
„ Quales futuri ſunt anni temporis morbi,
„ tales etiam ex iis conſtitutiones ducentur.
„ Si anni tempora tempeſtivam, & ordine
„ præcedentem temperiem habuerint, judicatu
„ faciles morbos pariunt. „ Hippocrates, expoſitore Fœſio, ſectione 2ª. Pag. 50ª. lin. 15ª.

Non omnes eodem modo de eo ſentierunt; putarunt ſiquidem nonnulli Hippocratem eo verbo -- conſtitutiones intellexeris -- ſe conſtitutiones temporum; alii vero plerique non temporum, ſed morborum conſtitutiones præ-

fatum

fatum autorem exponere voluiſſe. Non fortaſſe immerito arbitrati ſunt aſſerentes, nullo pacto concipi poſſe, quomodo tempora ſuas a morbis conſtitutiones trahant; concipi vero facillime, quomodo morbi eaſdem a temporibus ducant. Verum, quicquid hi, vel illi, in medium protulerint, ſub judice adhuc lis eſt; & hac de cauſa quæſtionem totam Tibi enuntiandam duxi, ut ſumma qua poſſes hiſce in rebus, præſtantia ſententiam feras mihi, quo citius poteris, indicans, cui ex recenſitis partibus veritas per Te faveat.

Ea hæc ſunt, quæ tibi referenda volui; parce, quæſo, Vir præclariſſime, tædio ſi tibi fuerim; & tua uti pergens erga me benevolentia, diu vale.

Dabam Romæ 14. Maij 1757.

30.

MARCUS ANTON. CALDANUS.

QUid eſt, Vir celeberrime, quam jamdiu humaniſſimis tuis, quæ me ſummopere recreare ſolent, atque reficere; neſcio plane quo fato omnino careo? Aut ſumma profecto negotia Tibi expedienda incumbant, aut quam Epiſtolam ad D. Somiſium miſi, nondum ad Te pervenit. Adjunxeram volumen quintum Academiæ noſtræ, tum exemplaria duo Epiſtolæ

tolæ illius meæ, qua ſententiam Tuam de irritabilitate, atque ſenſibilitate partium omnibus abſolutam eſſe numeris oſtendere conatus ſum. In hanc rem judicium Tuum, quod magnopere faciendum eſſe cenſeo, enixe efflagitabam, non quod exiſtimem, pericula illa non minimi habenda eſſe, ſed ut ex Te audirem quid addendum vel quid auferendum foret, opportunum duceres; præſertim cum Venetiis recudenda ſint, tum commentariis Academiæ noſtræ aliqua ratione ſint adjungenda.

Deditne illius Zinnius diſſertationem aliquam in hanc eamdem rem, præter illam, quæ inter diſputationes anatomicas a Te, Vir celeberrime, Gœttingæ impreſſas occurrit? Deditne alteram Cl. Walſtorffius præter illam, quæ legitur in diſputationum chirurgicarum collectione? Si alteram dederunt, enixe obſecro, ut ad D. Somiſium mittas una cum experimentis Emetti, Rungii, Muhlmanni, Sprœgelii, aliorum Clariſs. Virorum.

Quamprimum Laghius mecum experimenta omnia renovabit; quoniam ille ad me reverſus petit, ut ipſe inquit, rei veritatem viribus omnibus attingere. Pollicitus eſt impoſterum, ſi id ego experimentis meis præſtabo, quod præſtare ſententiam ſuam revocare. Verum (ex poſtrema ejus epiſtola, quæ ſub prælo eſt) conjicio, valde timeo ne lateat anguis in herba.

Interim ergo una cum amiciſſimo Fontana alia experimenta inſtituam, quæ ad irritabilitatem

tatem pertinent. Hæc, niſi permoleſtum ſit, Tecum lubens communicavero. Vale, Vir celeberrime, & me, ut ſoles, ama,

Dabam Bonon, die 16. Maij 1757.

31.

JOH. BAPTISTA MORGAGNUS.

FAſciculum cum Orchidibus ad te miſſum, Hallere Illuſtriſſime, tandem eſſe tibi redditum, perlibenter ex Tuis ad me noviſſime daris Litteris, intellexi: Epiſtolam autem iis incluſam Cl. Pontederæ ſtatim dedi. Deo gratias ago, quod in Germaniam non redieris, domique ſubſtiteris: ubi tamen, niſi Tuæ valetudinis majorem curam habeas, ſub tot oneribus ſanus vivere non poteris: quod bonis omnibus, mihique imprimis eſſet graviſſimum. Nunc convaluiſſe Te, magnopere lætor; longe magis lætaturus, ſi novos morbos diligentiſſime caveris: quo mihi nihil gratius facere potes.

Quod de primo Phyſiologiæ Tuæ volumine ſignificaſti, pergratum fuit. Illud, & cætera quæ perfecturus es, libentiſſime, ut tua ſoleo, perlegam. Interea autem diſputationes, quas mittis, practicas avide expecto: etſi enim quamplurimas habeo, ſemper aliquas in Tuis collectionibus invenio, non antea viſas. Illud

unum

unum me anxium habet, quâ ratione poſſim tantæ erga me Tuæ liberalitati reſpondere. Vix enim aliquid nunc in Italia prodit Te dignum. Sed qualiacunque, & quantulacunque ſint quæ partim habeo, partim expecto, in faſciculum compingam, in quem parvulum quoque conjiciam, jam diu a me aſſervatum, a Cl. Planco miſſum: quem ego faſciculum perferendum ad Te tradidiſſem, de quo in extrema epiſtola mentionem faciam, ſi aut mihi notus fuiſſet, aut ſi Planci, cui notum ſe eſſe dixit, mandatum ad me ſcriptum habuiſſet.

Nihil autem in faſciculo ex iis ponam, quæ ad inſenſibilitatem & irritabilitatem ſpectant; non modo, quod ſciam, univerſa in unum collecta quamprimum exitura e quadam Bononiæ Typographia; unde non dubito, quin ſtatim ab induſtrio ingenioſoque Caldano ad Te mittantur: verum etiam, idque potiſſimum, quod intelligam, eſſe ex iis etiam quæ ad amicum ab amico mitti non deceat, Intelligam, dixi; neque enim pleraque lego. Inter hujuſmodi opuſcula, illud fortaſſe erit, cui meum ſic intermixtum eſſe nomen, ad Te ſcriptum eſt; quaſi ego quoque, ſi ſuperis placet, Tibi, quem imprimis amari a me, & coli, omnes ſciunt, adverſarer. Ilum a quo id ſcriptum ad Te fuit, acres cum Patruo hujus adoleſcentis controverſias agitaſſe, Tibi non ignotum eſſe, credebam. Certe autem hic nihil notius eſt, quam me hujus

fectionibus, & experimentis nunquam interfuiſſe, neque ulla hujus generis habuiſſe me; itaque meum nomen, tanquam cum ipſo facientis, ejus ſcriptis immiſceri non potuiſſe.

Contra, quidquid Tibi gratum eſſe, novero, id libentiſſimo animo faciam ſemper, velut quod merito pro Cl. Zinnio jubes; omnem enim operam per amicos dabo, ut cum Academiæ Bononien. cœtus ad novos ſocios cooptandos habebuntur, fui ille juſtiſſimi voti compos fiat.

Fortaſſe jam te allocutus fuerit Doctor Italus Ughi, qui a Cl. Planco, mihi dixit, ad Te commendatitias litteras perferendas accepiſſe: itaque etſi ſatis ab eo commendatum fuiſſe, cenſeam; tamen quoniam meam quoque apud Tuam erga me ſpectatiſſimam humanitatem petiit commendationem, hanc ad Planci commendationem, ut velis adjungere, oratum Te volo. Deum autem veneror, ut Te mihi, & communibus ſtudiis quæ tantopere illuſtraſti, & illuſtras, quam diutiſſime incolumem ſervet.

D. Patav. XII. Kalend. Jun. 1757.

32.

ACHILLES MIEG.

SAtis negligens Tibi videbor, Vir perillustris, in litteris scribendis, qui jam a pluribus mensibus tales ad Te dare omiserim. Id vero eam præcipue ob rationem feci, quod jam diu in Botanica vix quicquam novi observaverim; cui elapso vere ob varia negotia, & practica inprimis, quæ in dies augentur, adeo parum temporis impendre potui, ut vix unum alterumve breviorem excursum facere licuerit. Hinc etiam fit, ut transmissionem promissi catalogi Trajectinensis, & supplementi ad recensionem plantarum Basileensium adhuc differre cogar. Interim vero judicium tuum de graminibus transmissis, quæ post hyemem Te examinaturum scripsisti, avidus expecto; & scire imprimis cupio, quale sit rarius illud gramen, quod pro Phalaridis specie transmisi; quum, si novum esset, animus foret, denuo in illud hac æstate inquirendi, ejusque iconem parandi. Cel. Stæhelinus consilium de instituendo itinere Alpino mutavit, & ejus loco hac æstate montem Bölchern adibit: quo eum, si modo negotia id patientur, comitabor.

Donec itaque rursus aliquid novi ex re herbaria Tibi transcribere liceat, visum est de aliis quædam commemorare, ne commer-

cium litterarium, quod Tecum mihi eſt tam honorificum, penitus abrumpatur. Noſti, Vir perilluſtris, ex prioribus meis litteris, me ſuperiori anno variolarum inſitionem hic incepiſſe. Eandem vere proxime elapſo rurſus in ſex infantibus felici cum ſucceſſu inſtitui; quorum unus ipſas quidem variolas inde non contraxit, ſed eo copioſior in eo fuit puris ex vulneribus effluxus, quæ ultra 30. dies aperta manebant; unde vix dubito, quin æque certe inpoſterum ab hoc morbo liber ſit manſurus, quam ſi corpus ipſis puſtulis fuiſſet obſeſſum; idque eo magis, quod a ſorore ſua, quæ eodem tempore, eodemque pure, ac illi, fuit inoculata, haud fuerit infectus, licet per totum morbi decurſum ei adfuerit. Inter hoſce inoculatos, etiam fuit celeberrimi Mathematici noſtri Johannis Bernoullii, filius natu maximus, cujus duobus fratribus jam præcedenti autumno variolas inſerui. Juvenis iſte philoſophus, tredecim modo annos natus, ſed eximio præditus ingenio, poſtea, quum prima Philoſophiæ laurea ipſi conferretur, hanc methodum publica oratiuncula commendavit, cujus exemplum, quod Tibi non diſpliciturum eſſe exiſtimavi, hic adjunxi. Audivi, Te hoc vere propriam filiam huic operationi ſubjeciſſe, cujus ſucceſſum, ſi equidem vera ſparſa fuit fama, ſcire percupio.

Experimenta electrica ad ſuſcitanda anima. lia, de quibus alia vice quædam ſcripſi, aliquoties a mechanico noſtro Dieterico, & Abele Socino

Socino, Med. Lic. fuere repetita, & tribus anatibus hoc modo vita fuit reddita, quarum una jam antea, quam percuſſionem pateretur, oculos movere cœpit; ut itaque ſimplex materiei influxus in illam jam aliquem effectum ederet. In vacuo vero nullum adhucdum, quod novi, ejuſmodi experimentum cœperunt.

Alius Mechanicus autodidactus, Emanuel Weiſſius, qui obſervationem aliquam ſecundo Actorum Helveticorum volumini (cujuſmodi tertium mox prælum relinquet) inſeruit; varia experimenta cum microſcopiis, qualia ipſe conficit, inſtituit; eorumque ope, inter alia, globulos ſanguinis in variis animalibus figura non penitus convenire vidit. In quadrupedibus nempe, uti in homine, globoſos eos eſſe obſervavit; ut tamen eorum magnitudo ei corporis non ſemper proportionalis ſit: ita ut ex gr. in bove minores ſe reperiſſe, dicat, ac in homine. In piſcibus vero, uti Leeuwenhœckius, tum & in avibus, ovali figura eſſe animadvertit; quæ tamen omnia nondum ſat numeroſis experimentis ſe conficere potuiſſe, ipſe fatetur. Guttulam autem ſanguinis pauxillo, aquæ dilutam, vitro bene pellucido applicat, & demum exſiccatam per microſcopium contemplatur.

Ramſpeckius jam toties expectatus, nondum Pariſiis advenit, & regentiam noſtram longa ſua abſentia. . . . . .

Vale

Vale, Vir perilluſtriſ! meque Tuo ſtudioſiſſimum porro Tibi commendatum habe.

Dabam Baſileæ d. 8. Jun. 1757.

33.

ORATIUNCULA
DE VARIOLARUM INSITIONE,

HABITA D. 31. Maij 1757. a JOHANNE BERNOULLIO, Joh. Profeſſoris Filio, quum poſt ſuperatas Variolas inſititias, prima Philoſophiæ laurea ipſi conferretur.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR, &c. &c.

NAvita de ventis, de tauris narrat arator: Ego vero de variolarum inoculatione breviter diſſeram; neque ſane cuiquam, puſtularum recens mihi ipſi inſitarum veſtigia inſpicienti, mirum videri poteſt, quum juſſu Ex. Dn. Promotoris noſtri de oratiuncula conſcribenda eſſet cogitandum; hocce dicendi argumentum animo meo obſervans, præ aliis, ſeſe obtuliſſe, Vos autem, A. O. O. H., ſi aliquam mihi concedere velitis attentionem, ea me non abuſurum polliceor.

Primus

Primus quidem quis fuerit inſitionis variolarum inventor, atque utrum caſui an ratiocinio debeatur hæcce inventio, non conſtat. Circa annum 1673. methodus iſte ex Aſia, vel ſecundum alios, ex Græcia ad Conſtantinopolitanos eſt translata. In reliqua Europa ignorabatur ante annum 1713; quo tempore, Emanuel Timonius, Medicus Conſtantinopolitanus, eandem per litteras communicavit cum ſocietate Anglica, & Regis Sueciæ Medico primario: adoptata vero demum fuit Londini anno 1721., quo uxor Eduardi Wortley Montaigu, antea Legati Britannici ad aulam Turcicam, fructum ejus methodi, dum Byzantii eſſet, in proprio filio experta, eandem poſt reditum in Anglia per chirurgum ſuum Carolum Maitlandum, etiam in filia adhibendam curavit; mox tamen ita invaluit, ut hodiernus Magnæ Brittanniæ Rex, tum adhuc Walliæ Princeps, inoculationem in propriis Infantibus experiri non dubitaverit; quod illuſtre exemplum, tam impenſe, & tanto quidem cum ſucceſſu, imitati ſunt Angli; ut, licet hæc methodus, quod fere fieri ſolet, ab initio haud raros habuerit antagoniſtas, hodie tamen vix reperiatur quiſquam in univerſa Britannia, qui ei contradicere auſit. Quin, ad ſublevandos pauperes, ante XI. circiter annos, Londini noſocomium exſtructum eſt, in quod inoculandi recipiuntur omnes, qui ob paupertatem operationis hujus ſumptus ſuſtinere non valent.

Ex

Ex Anglia quidem tardius, pedetentim tamen, in alias quoque irrepſit Europæ regiones; ut nunc in univerſo fere orbe chriſtiano ejus utilitas innumeris experimentis ſit comprobata; nimirum in Germania, Belgio, Dania, Suecia, Italia, tardius, quod mireris, Galli, rerum novarum alias ſtudioſi, eandem receperunt; ab aliquo tempore vero victi rationibus ſolidiſſimis, ſingulari, qua pollet, ſuada propoſitis a celeberrimo academico Condamine, præ cæteris inſitionis defenſoribus claro, necnon illuſtri exemplo Ducis Aurelianenſis, qui primus fere glaciem frangere, ac infantes ſuos huic operationi, quam d. 25. Martii ſuperioris anni per famoſum popularem noſtrum D. Tronchinum inſtituendam curavit, ſubjicere auſus eſt: his, inquam, immerito tarditatis ſuæ ipſos pœniteat.

Sed & Helvetii in eadem recipienda non ultimi fuerunt; & Genevenſes quidem inter eos primi eam uſurpare cœperunt anno 1750., Lauſannenſes vero anno 1753.: quas civitates mox ſecutæ ſunt vicinæ pleræque, ut Morgii, Etrodunum, Neocomum, aliæque.

In noſtra urbe patria inſitio, Facultatis tam Medicæ quam Theologicæ aſſenſu approbata, demum cœpit anno elapſo 1756., quo tria ejus experimenta feliciter fuere capta, primum quidem d. 29. Maij in Chriſtophoro Meyero, Carpentarii filio; reliqua duo d. 30. Auguſti in fratrum meorum duobus majoribus, quorum experimentorum felix ſucceſſus hoc vere

ſex

ſex alia non minus proſpera, & unum quidem in me omnium primo poſt ſe traxit.

Habetis, A. A., ſuccinctam inoculationis hiſtoriam. Ad ejuſdem methodum quod attinet, inſitio plurimis modis fieri poteſt; quos inter hodie cæteris præferri ſolet ille, qui in me eſt adhibitus; quo ſc. poſtquam inoculandi corpus diæta & medicamentis convenientibus rite fuit præparatum, fila pure bonæ notæ imbuta inſinuantur vulnuſculis mediæ & externæ utriuſque brachii parti inflictis; quæ vulnuſcula, poſtquam dicta fila per 40., plus minuſve, horas inde rurſus ſublata ſunt, idoneorum remediorum ope aperta ſervatur, quamdiu ſanies, magnam ſæpe, imo interdum omnem, varioloſi contagii copiam ſecum auferens, effluere per ea pergit.

Variolarum autem quovis modo inſitarum, tot ſunt, & tantæ, tamque manifeſtæ præſpontaneis variolis prærogativæ, ut inſitio merito commendetur omnibus, quibus vel ſuæ, vel liberorum ſuorum ſalus curæ, cordique eſt. Harum prærogativarum præcipua ſine dubio eſt feliciſſimus, qui inſitionem ſequi ſolet, ſucceſſus. Deinde eandem commendant levitas ſymptomatum in ipſo morbo, qui rarius aliquod Medici auxilium expoſcit, & ſæpe, ne lectum quidem ægrum ſervare cogit; paucitas puſtularum; cita convaleſcentia à morbo, qui etiam vix unquam aliquod incommodum poſt ſe relinquit: quum contra variolas naturales haud raro, præter fœdiſſimam faciei deformitatem,

tatem, triſtiſſima mala ſequantur, ut viſus, vel auditus depravatio, imo, nonnunquam totalis perditio; maligna ulcera, quæ & ipſa oſſa aliquando erodunt; variique alii morbi caput præcipue & pectus afficientes, qui interdum homines poſt ſuperatas jamdiu variolas, ſi non e medio tollunt, ſaltem miſerrimam vitam agere cogunt.

Sed & alias inſitæ variolæ, præ naturalibus, habent prærogativas: Poſteriorum nempe periculum a pluribus circumſtantiis augeri poteſt, quæ dum variolæ inſeruntur, vel præcaveri, vel corrigi poſſunt; quales ſunt: ætas provectior, adverſa valetudo, anni tempus minus favorabile, prava aëris conſtitutio, ſingularis vivendi ratio in quibuſdam regionibus; complicatio variolarum cum aliis incommodis, iis præſertim, quibus feminæ ſunt obnoxiæ; defectus debiti auxilii, quando morbus in itinere, vel inter peregrinos aliquem invadit; incertitudo Medici de natura morbi adhuc incipientis, & remediis hinc præſcribendis; infecto a particulis contagii ſubtiliſſimis adeoque acerrimis, a naribus, loco nempe cerebro proximo, pulmonibus, ventriculo, partibus ſc. nobilioribus magna copia receptis, quum in inſitione pus ſelectum, minus agile atque acre, exigua quantitate, corpore prius rite præparato, applicetur parti a cerebro remota, minuſque nobili.

His omnibus annumerandus eſt metus variolarum, quo, cum omni, tum eo potiſſimum

mum tempore, quando morbus iſte eſt epidemicus, anguntur illi, qui eodem nondum ſunt defuncti, adulti imprimis, eorumque parentes.

Impedit A. A. temporis ratio, quo minus varias hic recenſeamus ex variis locis petitas objectiones a malevolis novorum inventorum, quantumvis ſalutarium, quorum non ipſi autores ſunt, oſoribus enim inſitioni oppoſitas; imo, quod pudendum, quas nonnulli, ut crambem bis-coctam, contra eam etiamnum proponere non erubeſcunt; præterquam quod a methodi hujus defenſoribus tam abunde, tamque ſolide ad eas fuerit reſponſum, ut actum ageremus, ſi iiſdem refutandis immoraremur; quin potius rationes inoculationem ſuadentes, atque ex modo dictis ſponte fluentes paucis adhuc colligamus.

Docet experientia variolas eſſe morbum generi humano pene inevitabilem; & ſi inter centum homines unus eſt, vel alter, qui eo eximitur, is certe, utpote in continuo, in dieſque creſcente verſans diſcrimine, vitam agit infeſtam, anxiam, miſeram. Rapit autem morbus iſte, eadem experientia teſte, fere ſeptimam partem eorum, quos ſponte invadit; reliquorum denique non pauci triſtes ejus per totam vitam experiuntur effectus; & quo provectior ætas, eo periculoſior plerumque eſt morbus. Incomparabiliter autem tutiorem, levioremque eſſe, neque ullum funeſtum effectum poſt ſe relinquere obſervatur, ſi afficiat cæteroquin ſanum, debite præparatum in juniori

niori ætate, & tempeſtate anni favente. Id vero obtinet per insitionem, quæ vix in quadringenteſimo quoque funeſta eſt, quæ in perpetuum arcet ſpontaneum morbum; nec niſi eos afficit, quorum corpus ad contagium etiam naturale ſuſcipiendum diſpoſitum eſt.

Hoc cum ita ſit, ecquis præclarum inſitionis inventum donum eſſe Dei non gratus agnoſcat! Quis non avide illud arripiat, niſi prudentia, humanitate, pietate paterna, vitæ, formæque conſervandæ ſtudio omnino deſtitutus!

Imprimis autem inſitio, ad conſervandum genus humanum adeo utilis, ſeſe commendat civitati noſtræ a multis jam annis ad ſuî deſtructionem ruenti; ſiquidem horum triginta noviſſimorum annorum ſpatio modicus civium noſtrorum numerus ſeptingentis circiter eſt minutus; quod certe decrementum, vel ſolius inſitionis ope, ſi ante triginta annos apud nos introducta fuiſſet, præcaveri potuiſſe, fidenter affirmari poteſt.

O! quam optandum itaque eſt, ut fauſtæ inoculationis progreſſus non ſolum non remorentur, ſed omnibus viribus potius promoveant politici, theologi, medici, parentes, omnes denique, quibus patriæ & ſuæ cujuſque familiæ ſalus cordi eſt, quique ad eos promovendos aliqua valent auctoritate.

Ego quidem, quoad vivam, grata mente agnoſcam providum optimorum parentum beneficium, qui reſpuentes, neſcio quod, pavidum,

dum, muliebre, homine prudente indignum, amoriſque paterni nomen falſo uſurpans præjudicium, auſcultantes contra intimo, ſed maſculo, veroque amoris affectui, re probe ſollicite que ponderata, obſequentes & rationi, & experientiæ, & religioni, proprio denique annuentes, quo ipſe flagrabam, inoculationis deſiderio; levi hac operatione, ſemel & in perpetuum, me ſubtraxerunt tot & tantis, quæ mihi a variolis imminebant periculis, continuis animi curis.

Avidus quoque occaſionem hanc amplector, gratum meum animum publice teſtandi Medico clariſſimo, qui in hoc negotio ſuam mihi præſtitit operam; meretur ſane inſignis, quam exhibuit in præparatione prudentia, in operatione dexteritas, in ipſius morbi tractatione experientia, aſſiduitas & ſollicitudo, ut cum omnibus patentibus, qui liberis ſuis inoculandis optime proſpicere cupiunt, de meliori nota commendem.

Quandoquidem vero inane eſt, quidquid ſuſcipimus, niſi propitium aſpiret numen, ita præcipue Deo T. O. M. qui optimo parentum conſilio, aſſiduæ, ſollicitæque medici curæ tam clementer benedicere voluit; ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſæcula.

Dixi.

34.

CALDANUS.

DOlendum valde mihi fuit, quod humaniſſimæ Tuæ ſero ad me pervenerint, ex eo quod eryſipelacea febre ægrotaveris. Par vero dolori meo lætitia fuit, cum ex tam pertinaci morbo convalueris. Utinam amicis & litteratorum reipublicæ valeas! Utinam Neſtoreos annos in Te, Vir celeberrime, renovatos unuſquiſque videat!

Commentariolum de motu arteriarum coronariarum nunc tranſcribi jubeo; una cum eo ad Te mittam per amicum Somiſium, quæ evenerunt in experimentis inſtitutis cum Laghio. Is nondum typis ſecundam ejus epiſtolam mandavit: attamen ſub prælo eſt; & ſtatim Laghius ipſe, ut ex amicis audio, curabit ut habeas. Impulit ut ad Te ſcribat, epiſtola tua ad Baſſanum, in qua laudas quæ ille ſcripſit, quamvis contra ſententiam tuam. Cum vero audiverit me iterum experimenta capturum eſſe, exoravit ne ſcriberem, quouſque experimenta ejus non viderim. Pollicitus ſum id me facturum; verum nolle, quod arbitratur, reſpublica me ipſius rationibus acquieſcere. Sed de his alibi plura.

Vigeſies & amplius peritonæum evolvi, & ſemper conſtantiſſime ſubtus renes etiam decurrere, obſervare contigit. Aperto ventre,

&

& in dextro latere aut ſiniſtro ſuperius diducto digitis peritonæo prope lineam albam ſemper ſubtus renes, id decurrere vidi. Neque profecto me fefellit tendo transverſorum muſculorum, neque cellularis, quæ muſculos in lumbis poſitos obvolvit.

Obſervationes modo inſtituit de corde amicus meus Fontana, quarum nonnullis interfui. Exorat ipſe ut ad Te ſcribam, graviſſimumque judicium tuum expoſcam. Hæ autem, ut ex ipſo habui, hujuſmodi ſunt:

„ Non ex eo quod dubitarem de obſerva-
„ tionibus D. Queye, ſed ſtudii amor & de-
„ ſiderium effecerunt, ut propriis uſurparem
„ oculis, quæ leguntur graviſſimos apud au-
„ tores. Teſtudines itaque quamplures aperui,
„ tum terreſtres, tum aquatiles, quæ apud
„ Bononienſes inveniuntur frequenter; ſem-
„ per autem vidi, quod earum cor, dum
„ contrahitur, brevius fit, accedente apice ad
„ baſin: contra vero in diaſtole, quo tempore
„ elongatur, & ampliatur, Sæpiſſime id vidi,
„ atque omni diligenria adhibita confirmavi,
„ metiendo contractionis diverſitatem idoneis
„ inſtrumentis, qua de re nullum dubitationi
„ locum relinqui aſſerere modo non dubito;
„ & rationem non invenio, quæ prælaudatus
„ Queye contrarium aſſeruerit in ipſius diſ-
„ ſertatione *de Syncope*. Teſtudinum cor figu-
„ ram habet ab iſta diverſam, quæ in aliis
„ animantium generibus obſervatur; quin-
„ immo differt non parum ab anguillarum
corde.

„ corde. Illarum dimenſio major eſt ad latam „ cum latitudo longitudine duplo major ſit. „ Baſis ſuperiora reſpicit, ut in aliis animalibus; hæc vero baſis paulatim, progrediendo, minuitur quouſque in apicem terminatur. „ Dominus Humauld (M. A. R. Scient.) in deſcriptione teſtudinis terreſtris perquam magnæ ad ora Coromandel repertæ, cujus longitudo quatuor pedes Pariſienſes cum dimidio, digitos vero 14. craſſities æquabat, „ aperte nos monet, quod dum ſanguis in cordis ſyſtole projiciebatur in arterias; „ tunc cordis apex ad baſim accedebat. Quia vero teſtudinis hujus cor ſimile omnino deſcribitur illarum cordi, quas ego diſſecui, ita „ arbitror idem intelligendum eſſe de teſtudinibus quibuſcunque. Silendum tamen non eſt, quod cordis hujus auriculæ propriis apicibus ſecedunt a baſi propria, dum contrahuntur: accedunt vero, dum ſanguine replentur. Id clarius patebat, tunc cum animal „ multum ſanguinis amiſerat. Dignum adnotione eſt phænomenon unum, cujus cauſa „ adhuc me latet: nempe quod dexter ventriculus, ejuſque auricula, ab introeunte ſanguine, atro colore inficiebantur, florido vero, ac rutilo ventriculus alter, atque ejus „ auricula: quæ res omnibus innoteſcere poteſt, tenues enim ſunt in his animalibus, „ tum ventriculi, tum auriculæ, atque ita „ ut ingreſſus, atque egreſſus ſanguinis oculis „ uſurpari perbelle poſſit; quod magis patet,

„ ſi aperiantur tum auriculæ, tum ventriculi,
„ quando ſanguine turgent; rubet enim in ſi-
„ niſtra cordis parte, livet & nigricat in de-
„ xtra, An pulmo huic phænomeno occaſio-
„ nem præbet? Hoc certe viſcus in teſtudi-
„ nibus, multo majus eſſe relate ad homi-
„ nem, atque alia animalia, quæ calido ſan-
„ guine pollent. Denique ſi me lateret quid
„ Tu, Vir celeberrime, poſt multa facta pe-
„ ricula, omni, ut ſoles, diligentia, in Tuis
„ pulcherrimis commentariis in partium inſenſ.
„ & irritab. & in mem. de ſanguinis miſſio-
„ ne, ejuſque effectis pronunciaveris, audi-
„ rem aſſerere multoties me vidiſſe anguilla-
„ rum cor in ſyſtola brevius fieri, dum in
„ diaſtole apex à baſi recedit. Quæſo igitur,
„ ut moneas, quid fefellerit in obſervationi-
„ bus circa anguillarum cor inſtitutis. Me
„ ſemper felicem, ſi dubia evenerint, quibus
„ non parum torqueor! Quod niſi a Te, Vir
„ præſtantiſſime, expectare poſſim, quo me
„ vertam, neſcio profecto. Interim gratias
„ ago quamplurimas, pro eo, quod amico
„ meo Caldano ſcribens, honore maximo me
„ afficis, dum ſalutem dicis. „

Hæc amicus Fontana.

Fraus ideo fuit in quinto Academiæ noſtræ volumine, quod apud Somiſium adhuc eſt; quia me alias monuiſti, quod tomos IV. ejuſdem Academiæ poſſidebas. Cum vero notum

eſſet nondum quartum tomum prodiiſſe, arbitratus ſum inde pro tomis intelligenda eſſe volumina, quæ ſunt quinque. Quartus tomus ſub prælo eſt, & ſtatim curabo eum ad communem amicum Somiſium.

Deſcripſit ne anatomicus aliquis ſtructuram, atque uſum illorum corpuſculorum plano-ovalium, vel ſubrotundorum, glandulas externo habitu referentium, quæ ubique, infra, ſupra & circum arterias, venaſque majores in corpore occurrunt? Quæſo ut de hoc me moneas; niſi enim aliquis hucuſque deſcripſerit, deſcribenda impoſterum eſſe judico, & revera deſcribam, ſi Deus vires dederit. Interim incolumem te ſerva, Vir præſtantiſſime, quod vehementer adprecor, & me, ut ſoles, ama

Dabam Bononiæ die 12. Junii 1757.

35.

ACHILLES MIEG.

INtellexi ex ultimis Tuis litteris, Vir perillustris, continuo te occupatum esse in experimentis instituendis ad Physiologiam tuam augendam, illustrandamque; cui operi adeo desiderato perficiendo, ut Deus fortunet, Tibique continuam sanitatem concedat, ex animo foveo, atque etiam ut iter in Valesiam felix fortunatumque sit, sincere opto. Plantas autem, quibus Te ex hoc itinere me remuneraturum promittis, gratissimo animo accipiam.

Quam desideraſti *Erucam sylvestrem maj. luteam caule aspero C. B.* aliquando cum aliis plantis mittam, quum integra epistola includi non possit. Florem vero, quem in partes suas dissectum, atque etiam depictum hic adjungo; de novo, post acceptas Tuas examinatum sequenti modo constructum reperio: *Calyx* patulus, foliolis longitudine æqualibus, linearilanceolatis, leviter concavis, hirsutis, ex viridi lutescentibus, deciduis, quorum duo brevioribus apposita staminibus, reliquis duobus paulo latiora sunt, & ad basin aliquantum gibbosa. *Petala* ochroleuca, calyce duplo longiore, unguibus erectis calycis longitudine, bracteolis rotundis, patulis. *Nectaria*, viridia quatuor, quorum duo (utrinque nempe unum) conica, inter stamina longiora & calycem,

reliqua vero duo breviora, ſed latiora, obtuſa, tribuſque ut plurimum obtuſis eminentiis per microſcopium tantum obſervabilibus prædita, inter ſtamen brevius & piſtillum locantur, prioribuſque duobus diutius viridia perſiſtunt. *Stamina* quatuor longiora petalis paulo breviora, & piſtillo linea una circiter longiora, duo vero breviora longitudine calycis; filamentis ſubulatis, antheris ſubſagittatis, erectis in flore recens aperto, mox vero ſingulis apicibus recurvato extrorſum flexis. *Piſtillum* longitudine ſtaminum breviorum (in flore nempe recens aperto.) *Germen* lineare, tetragonum; ſtylus craſſus, breviſſimus; ſtigma obtuſum. *Siliquæ* cauli non parallelæ, ſed ab eo recedentes, vixque ullum angulum cum pedunculis facientes, lineares, ad unciam unam ſemis longæ, a turgentibus ſeminibus toroſulæ, ſubtetragonæ, angulis intermediis fere acutioribus (præſertim in inferiori ſiliquæ parte) quam ii, qui ad conjunctionem valvarum ſunt, in binis loculis continent numeroſa *ſemina*, oblonga, ſubfuſca; ſtylus craſſus, in ſiliqua matura ultra lineam longus, ſtigmate obtuſo, ſubbifido.

Ut eo melius pateat plantæ hujus differentia a *Siſymbrio, pinnis glaucis, pinnatis, pinnis longis rarius ſerratis.* Helv. p. 551[a]. n. xj. Deſcriptionem etiam iſtius, licet eam non deſideraſti, hic adjungere viſum eſt, qualem jam ante aliquot quidem annos, Trajecti ad Moſam, ubi copioſiſſime ad vias, & ſupra muros creſcit,

creſcit, feci: *Calycis* foliola elliptica, obtuſa, deorſum non gibba, patula, ex viridi lutea, apice plerumque hirſuta, decidua. *Petala* calyce plusquam duplo longiora, unguibus ſublongiora, unguibus ſuberectis calyce dimidio brevioribus, bracteis majuſculis flavis, rotundis, patentibus. *Nectaria* viridia quatuor, unum nempe ſimplex majuſculum utrinque inter ſtamina longiora & calycem, & minus, quod quaſi ex duobus connatum, ut utrinque inter ſtamen breve & piſtillum. *Staminum* duo minora calycis longitudine, filamenta craſſiuſcula, antheræ ſagittatæ, quarum illæ, quæ filamentis longioribus inſident, verſus piſtillum, minoribus verſo inſidentes filamentis, verſus petala incurvatæ ſunt. Stamina majora longitudinem *Piſtilli* adæquantia. Germen lineare, in ipſo flore breviter pedunculatum; ſtylus ejuſdem fere cum germine craſſitudinis lineam circiter longus; ſtigma capitatum, perſiſtens. *Siliquæ* ad 15 lineas longæ, lineam in medio latæ, compreſſæ, bivalves, biloculares, lineis per medium valvarum decurrentibus parum elevatis. *Semina* copioſa, ſubrotunda, duplici ordine in ſingulo loculo diſpoſita. Ceterum ſiliquæ ita locantur, ut cum pedunculis, longitudine ipſis æqualibus, quibus inſiſtunt, angulum verſus ſuperiora acutum faciant, & ſic cauli parallelæ ſæpe etiam convergentes, evadant, licet pedunculi ad angulum fere ſemirectum ex caule egrediantur.

Dubiis tuis de animalium reſſuſcitatione con-

contradicere non auſim, quum experimenta Dietericiana nondum ipſe viderim. Curabo vero, ut ipſe iis interſim, quando nova inſtituendi occaſio feret, & verum rerum eventum exacte Tibi indicabo.

Cum Weiſſio vero varia experimenta microſcopica reiteravi. Animus primo erat, ſanguinem alioſve humores in tubulos capillares attractos per microſcopium contemplandi, ſed ob particulas nimis denſe aggregatas, & plures retro ſe invicem poſitas nihil diſtincti animadvertere potuimus. Multo diſtinctius vero omnia obſervavimus, dum exiguam guttulam ſanguinis, aliuſve liquoris, pauxillo aquæ dilutam, ut particulæ magis ſeparatæ & diſtinctæ apparerent, vitro plano, claroque applicaremus, ſicque microſcopii ope contemplaremus. En igitur, Vir perilluſtris, quæ hactenus conjunctim cum laudato Weiſſio obſervavi:

1°. In *ſanguine humano* recenti, globuli apparebant ſatis exacte rotundi.

2°. In *ſanguine bovino* recenti, globuli figura ſimiles, ſed minores,

3°. Nec aliter figuratos reperiebamus *globulos ſanguineos felis domeſticæ.*

4°. Sic etiam in *ſanguine lumbrici terreſtris* rotundi apparebant globuli, inter quos varia filamenta conſpiciebantur.

5°. In *ſanguine* vero *gallinæ*, cum recenti, tum ſicco, globuli evidenter apparebant ovales, vel ad ellipticam figuram accedentes. In me-

medio autem ſingulorum globulorum ſiccorum alius exiguus globulus, vel nucleus ejuſdem figuræ locatus erat, uti vitellus in ovo, qualem nucleum in recenti ſanguine gallinæ conſpicere non potuimus. Quoad circumferentiam tamen ipſam globulorum, nulla differentia erat ſiccum inter & recentem ſanguinem.

6°. In *ſanguine* recenti exigui *piſciculi* (*Schneider fiſchlein*) globuli etiam ad ovalem figuram accedebant, ut tamen diametrorum differentia ſatis exigua fuerit. In ſingulorum recentis hujus ſanguinis globulorum medio ſimiles nuclei apparebant, ac in ſicco ſanguine gallinaceo me conſpexiſſe dixi, ut tamen illi in piſcino ſanguine minus diſtincte conſpicerentur.

Cæterum. in ſingulis antea recenſitis ſanguinis ſpeciebus globulorum figura diſtinctior erat, ubi ſatis poſiti erant ſingulares: ubi vero plures aggregati erant, figura ſubinde paulum mutata, & varie anguloſa apparebat; unde molles & compreſſiles eos eſſe, patet; aliquando etiam unus alterve quaſi confluentes conſpiciebantur. Singulæ tamen ſanguinis ſpecies globulos propemodum ſibi invicem æquales monſtrabant; ita nempe, ut nulli apparerent, qui ad humorem heterogeneum, ſerum ex. gr. referri potuiſſent. Non autem rubri per microſcopium apparebant, ſed pellucidi, margine obſcuro diſtincti.

7°. In *humore rubro ex capite muſcæ* ſuper vitrum expreſſo, & poſt exſiccationem demum con-

contemplato, nulli distincti globuli conspiciebantur, sed quas mucus varie distractas, coloris pulchre carmesini, fibris variis ramosis intextis.

8°. In *lacte vaccino* recenti, globuli distincti conspiciebantur rotundi, minores quam in sanguine humano.

9°. In *humore nigro uveæ* ex oculo vitulino, copiosi globuli nigri, æquales, rotundi apparebant.

10°. In *felle* autem *taurino* recenti, nihil distincti conspici potuit, nisi hinc inde una, alterave particula splendens figuræ globosæ, & ad marginem guttulæ striæ, quales in gummi post liquefactionem exsiccato super planum extenso, rursusque exsiccato apparebat.

11°. Neque quicquam distincti globuli conspicere potuimus in sero sanguinis humani quiete in vase a cruore separato; & postquam super vitrum siccatum esset, demum contemplato, utique neque in *urina*, *narium muco*, humore ex *glandulis sebaceis* retro glandem collato, simili modo contemplatis.

Hæc sunt, quæ hactenus cum Weissio observavi, qui ulteriora officia lubenti animo una mecum offert, si qua in ejusmodi re porro utiles Tibi esse possumus.

Quod de filia Tua scribis, Vir perillustris, eam, bis licet novo pure applicato, variolas non contraxisse, vix equidem, juxta Anglorum observationem, dubium superesse potest,

teſt, quin, ſi vulnera ſuppurarunt, inpoſterum a variolis libera ſit manſura. Aliquid tamen metuendum eſſe videtur, ſi vulnera nullum pus dederunt; nam ex Cl. Hoffmanni, noſocomii militaris, quod Trajecti ad Moſam eſt, chirurgi primarii litteris comperi, ex quinque infantibus Dni. de Zæglen, in quibus Trajecti ad Rhenum vere anni elapſi hæc operatio fuit inſtituta; tres quidem ſtatim a prima inſitione variolas benignas & diſcretas habuiſſe; quartum vero, quæ filia erat, demum poſt quinquies repetitam inſitionem variolas contraxiſſe, illaſque anomalas, & ſatis periculoſas: unde parentes pati noluerint, ut in quinto infante eadem repeteretur. Sed ſpero & opto, ut in filia Tua eventus Tuis reſpondeat votis. (Libera manſit.)

Vale, Vir celeberrime, mihique porro fave.

Dabam Baſileæ D. 22. Junii 1757.

36.

LUDOVICUS PALLIANI.

PErlegi opus, quod contra tuam, de partibus insensibilibus, opinionem in lucem edidit Vandellius Patavii. Plura quidem experimenta in medium adducuntur; verum talia non sunt, ut in iisdem refellendis occupari mens tua debeat; quandoquidem alia eorum male, ut opinor, instituta sunt: alia per se refutantur. Vidi chordam magnam satis crasse ibi pictam, & nervos indicatos præsertim considerans in eam veni opinionem, ut crederem, illos partim pro pictoris lubitu effictos fuisse, partim omnino incongrue delineatos.

Pluries, Vir celeberrime, prout optabas, observationes instituì circa nervos ossi dicatos; & quamvis non semper, aliquando tamen, datum mihi fuit eos reperire in maxilla inferiori; eam enim aperiens, ob oculos interdum habui tenuia aliqua nervorum quinti paris filamenta, quæ in internam substantiam osseam immittebantur, atque in ea desinebant ad instar tenuissimæ membranulæ. In ossa digitorum phalangis constituentia, nullos hactenus insertos inveni.

Experimenta quoque a Te, Vir doctissime, in fistula pulmonali instituta, ter elapso mense Maij repetènda suscepi, & optimo cum exitu. Tracheam canis apte paravi, eam acu & lanceola

nceola punxi, nedum in externis, ſed in internis etiam parietibus; imo unum, vel alterum anulum ſtimulans, acum ita per eum immiſi, ut ejuſdem veluti diametrum repræſentaret, nec unquam tuſſis indicium apparuit. Eandem omnino quietem in ſubjecto experimentis canis deprehendi, cum aſperam arteriam juxta longitudinem cultro aperui, atque inſpirationis tempore in ejus intimam ſuperficiem ſulphur flagrans injeci. In alio cane ſpiritu vini rectiſicatiſſimo utens, ipſoque tum externe, tum interne tracheam ſtimulans, tentamen pro voto ceſſiſſe obſervavi; unica tantum excepta vice, in qua, cum in fiſtulæ pulmonalis interiorem faciem copioſe ſpiritum eundem affuſerim, tuſſi canis correptus fuit. Id autem inde arbitror contigiſſe, quod liquor affuſus in veſiculas uſque fortaſſe deſcenderit; eaſque irritando, in repetitam contractionem pulmones impulerit. Pergam in hujuſmodi indaginibus, quoties congruum mihi ſuppetat tempus.

Benedictus Boninus Ophtalmiater, & Lithotomus perexcellens Tui raptus fama in itinere, quod ſuſcipit, iſtuc ſe transferet, ut te alloquatur, ac videat, quod ſi idoneus mihi foret locus, & ego efficerem, quemadmodum in animo eſt.

Reliquum eſt, quam Tibi Cl. Baſſanus, & Toſettus per me dicunt plurimam, nunciem Teque obteſter, ut nos amare pergas, & diutinæ tuæ conſulas valetudini.

Dabam Romæ 3°. kalend. Julij 1757.

ACHILLES

37.

ACHILLES MIEG.

Misi hodie per Rhedam meritoriam *Erucæ sylv. caule aspero* aliquot specimina recentia musco humido in scatula involuta, quam frater meus (apud Dn. de Villete) cui eam cum aliis rebus transmisi, Tibi tradet. Reperi eam non solum, uti antea jam scripsi, ad Birsam, sed nunc etiam ad Wiesam, & juxta Rhenum in agris inter Cliben & parvam Hüningam. Attamen vero speciem *foliis pinnatis raviter serratis*, de qua antea jam scripsi, hactenus neque a me, neque ab ullo alio, circa Basileam fuisse repertam; etiam nunc frustra rursus, & ad Rhenum, & ad Wiesam quæsivi. Haud equidem ignoro, eam Rheni ripas amare, & ipse olim, quum trajectum ad Mosam iter facerem, eam infra Oppenheim ad Rhenum etiam legi; sed in nostra certe vicinia non crescit: atque etiam in horto nostro medico, in quem præter alia etiam hujus plantæ semina mecum asportavi, ea ex hortulani incuria periit. Sed partem, ni fallor, eorum seminum Stæhelinus noster ad Cel. Gesnerum, Tigurum transmisit; ubi forsan hæc planta adhuc reperietur. Quum itaque ipsam plantam recentem, uti lubenter quidem vellem, transmittere non detur, adjungam reliqua, quæ olim Trajecti ad Mosam de ea adnotavi.

Ra-

Radix ejus albc eſt, perlonga, fere cylindrica, obliqua, lateralis, vix fibroſa. Caules ſuberecti, modo glabri, modo, præcipue verſus radicem, ſubhirſuti, non tamen aſperi, virides aut ex viridi-purpurei, inferne, præcipue ex radice, ramoſi, diffuſi, & valde folioſi; ſuperne vero, dum florent, ſubnudi. Folia, præſertim infima, longe petiolata, glabra, ſtricta, pinnata, nervo foliaceo, pinnis plerumque alternis, remotis, linearibus, inæqualiter & ſæpius quidem ſatis profunde, & obtuſe dentatis, raro integris, obtuſiuſculis, lobis extremis itidem gracilibus, dentatis, obtuſiuſculis. Flores laxe locati, pedunculiſque longiuſculis innexi, quorum ſtructuram jam in ultimis litteris notavi. Sapor plantæ acerrimus eſt, & odor ſingularis. Floret per totam æſtatem.

Cel. D. Allionii litteras Zwingero noſtro tradidi, qui, ut ſuo nomine, debitas Tibi gratias agam, Teque perhumanirer ſalutem, mandavit. Ipſe autem Allionio recta Taurinum reſcribet.

Experimenta microſcopica Viro illuſtri placuiſſe lætor. Hactenus alios humores præter jam memoratos, & ſanguinem nondum contemplatus ſum; ſed, quoties occaſio dabitur, id faciam. De lacte quidem jam dixi, me in vaccino rotundos reperiſſe globulos, uti in ſanguine. Semen autem humanum cælebi homini licito modo, contemplandi occaſio vix dabitur: at vero, quamprimum occaſio feret, cum Weiſſio in animalibus id examinabo.

In-

Interim ſanguis varias adhuc ſpecies microſcopio ſubjeci; & in *columbæ* quidem & *currucæ* ſanguine globulos ex ovali ellipticos eſſe vidi cum nucleo in ipſorum medio, uti idem de gallinaceo ſanguine ſcripſi. In *trutta* etiam & *naſo*, piſcibus, ad ovalem figuram eos accedere, & nucleum in medio habere, obſervavi; quantum tamen hactenus vidi, in piſcibus minus a globoſa figura recedunt, quam in avibus. In exigua ea *ranarum* ſpecie, quæ copioſe & in paludoſis reperitur, & ſubinde in ſiccis, globulorum figura ſimilis eſt illi in avibus, ut tamen nucleum in medio non ſatis diſtincte conſpicere potuerim. Sed maxime omnium, quoad hactenus vidi, a globoſa figura recedunt globuli ſanguinis ex *Cæcilia*, qui ſc. oblongam & anguſtam ellipſin vel fere cylindrum referunt, ita ut in medio vix latiores ſint, quam prope finem, proxime videbo, an & in aliis reptilibus ſimilis ipſorum figura ſit.

Iter noſtrum in montem Bölchern inſtituetur d. 11. Julij. Eum montem ſimul adibunt, Baſilea præter Dn. Profeſs. Stæhelinum & me, Dn. Cand. de la Chenal, & quidam alii ſtudioſi. Argentorato Dn. Prof. Spielmann, D. Pfeffinger, D. Berdot, & aliquot ſtudioſi; Mülhuſio vero Doctores Hofer & Risler, & Gagnebin quidam, de quo neſcio, an forſan Ille ſit, quem ita frequenter in opere Tuo Helvetico citas. Aliquot autem dies ſuper montem manebimus, & ſpes eſt, fructuoſum fore

tale

tale iter; itaque poſt reditum, rariorum catalogum mittam.

Vera cauſa diuturnæ abſentiæ D. Ramſpekii etiam hic ignoratur;

Vale, Vir perilluſtris, mihique porro, ut ſoles, fave.

Dabam Baſileæ d. 29. Jun. 1757.

38.

MORGAGNUS.

ECce Tibi, Ill. Hallere, epiſtolam ad Præcl. Zinnium Tuum, atque adeo noſtrum, ex qua intelligat, ſe compotem eſſe factum juſtiſſimi voti ſui. Qualem ad me miſit is, cui potiſſimum id commendaveram Cel. Zanettus, talem ad Te ſtatim mitto, ut ad illum tuto perferendam cures, iis exterius inſcriptis quæ, incertus ubi ille nunc degat, omiſit Zanottus. Idem me docuit, quantis difficultatibus ab aliquo jam tempore obnoxia facta ſit novorum Academicorum electio. Quas cum lecturus ſis in Bonon. Comment. Volumine IV. hic prætereo. Spero enim, propediem exitura ea Commentaria, quæ jam diu expecto, ut quadantenus reſpondere poſſim eximiæ liberalitati erga me Tuæ. Iiſque alia addam nonnulla, quæ apud me ſunt; & ſi cito nanciſci potero, illa quoque duo quorum notitiam Te

ex

ex Planci ſcriptis hauſiſſe, ſignificas. Ad eundem Cl. Virum Tuam cras epiſtolam mittam.

Duo illa Berolinenſia opuſcula mihi erunt grata; ſed longe gratiora, quæ ad Phyſiologiam attinent Tuam; & obſervata in ovo incubato; digniſſima certe quæ prodeant. Gratulorque interim, præter ea, diſputationum practicarum volumina, quæ Bergomum verſus jam mittenda curaſti, tria alia intra hunc annum fore abſoluta.

Quod erga Mathematicum iſtum (FELIE) Te ita geſſeris, & geras, ut ſentiat, quemadmodum ad me gratiſſimis verbis ſcribit, meam & Planci commendationem non eſſe fruſtra additam, agnoſco humanitatem Tuam, quam ſatis ipſe prædicare non poteſt. Rogo, ut meis verbis ſalutem dicas; occupationibus enim magis quam vellem diſtento reſcribendi tempus deeſſe; cum vix illud ſuppetat calamo adjiciendi id, quod animo ſemper voveo, ut Tu, Vir Illuſtris, mihi, & bonis omnibus qui Te meritiſſimo amamus, & colimus, ſoſpes ſemper, vegetuſque ſerveris.

D. Patavii Pridie kalend. Jul. cIↃIↃCCLVII.

Antequam epiſtolam hanc obſignarem, ad me pervenit hodie faſciculus Tuus; recte conſtitutus. Pro quo gratias ago maximas: plura autem continet, quæ necdum videram.

CAL-

39.

CALDANUS.

EPiſtolas Tuas humaniſſimas accepi ea voluptate, qua reliquas accipere conſuevi: nempe maxima.

Quæ Laghius contra ſententiam Tuam protulit, ad Te jam per Cl. Somiſium perveniſſe, mihi perſuadeor. Videbis, quod eo tandem deductus eſt, ut tactus ſenſum tendinibus non denegandum eſſe veiit (quaſi ſenſus hic in ſenſu non mutetur) quamvis quæſtio ſemper fuerit de nervis, qui ab iſchiadico deſcendunt immediate in tendinem; modo præter hanc, aliam quæſtionem ingreditur: de nervis nempe, qui a muſculo in tendinem veniunt. Dum vero id facit, ſilet experimentum, quod pluries fecit: ligavit nempe tendinem denudatum, omnino abſque animalium ſenſu. Quid inde inferendum? Certe vel nervi denegandi, vel tales admittendi, qui doloris ſenſum movere nequaquam poſſint. Hoc pariter confirmatur experimentis a me inſtitutis; candentes enim ſubulæ, acus infixæ, & alia pericula in tendinibus facta nunquam nos docuerunt de nervorum immiſſione in tendines, vel de eorum diſpoſitione ad dolorem movendum. Neque me terrent Laghiana experimenta; neque terrere debent alium quempiam. Nam quamvis Hallerianos Anatomicos eſſe dubitet, non

conſiderat, quod ipſe nunquam cultro uſus eſt : & tantum nomine talis dicitur, quatenus publice anatomicam hiſtoriam, ut mos Bononiæ eſt, ter quaterque tradidit; &, quod magis eſt, anatomico Vineæferro præcipue utitur, qui non ſemel in experimento Stenonis, & Diegi ligaverit œſophagum pro aorta. Ceterum, quamvis ex me quæſiverit, ut repeterem cum ipſo experimenta : tres tamen præteriere menſes, & nondum, vocatus quamvis, accedere potuit; aliis, ut ipſe ajebat, occupationibus diſtractus. Rogavit tamen denuo elapſis diebus, ne ſcriberem, donec Septembri menſe proximo pericula ſimul non fecerimus: addidit tamen: *Videbis tendines per infixam acum, aut candentem ſubulam plerumque dolere; repones tameu, quod involucra diſtrabo, & ſemper erit eadem quæſtio.* Repoſui vero, quod acus eaſdem vel ſubulas in eoſdem omnino tendines ego immittam; & ſi doloris ſigna non præbuerint animalia, certe coactus ero id aſſerere: neque enim animalibus imperare quiſquam poteſt, ut dolorem præſentem cohibeant, vel abſcondant.

Sed hæc minus ad rem faciunt. De pleura, peritonæo, & pericranio ſilet. Senſum cerebri amplificat; nam quem ſenſum in prima ejus epiſtola ſoli corpori calloſo, & medullæ oblongatæ aſſignabat, modo ad corpora ſtriata, & ad thalamos nervorum opticorum extendit. Exceptionem tamen aliquam in experimentis cerebri intelligendam eſſe contendit : quod ut pro-

probet, Te ipſum Hallerum præſtantiſſimum in teſtimonium vocat, quod dum facit, gallicum ſermonem omnino non intelligere palam facit: neque enim, citato a Laghio loco, de cerebri ſenſu dubitas; ſed de explicando theoremate quodam practico, de quo etiam me mones in poſtremis epiſtolis Tuis, dum ſedem in cerebro quærendam jubes, qua læſa convulſiones oriuntur.

Ignorantiam pariter gallici ſermonis publicam facit, cum ſenſum arteriis tribuit, Te pariter in teſtimonium vocans; neque enim, ſi recte memini (careo enim iibellis Tuis poſtremis, cum non adhuc a Somiſio acceperim) neque, inquam, id doces, quamvis alias diſputationem edideris *de imperio nervorum.*

Præterea, quod ad irritabilitatem attinet, modo non negat Laghius, quod probe evacuato ventriculo cordis dextro, ſileat motus omnis: ſuperſtes tamen in ſiniſtro: tantum a ſanguine excitante ſpiritus in fibris cordis latentes, repetendum eſſe motum illum contendit. Is tamen non conſiderat, quod nihil aſſertum hoc contra Hallerianos facit. Diſcrepat in hoc tantum ab Hallerianis, quod hi non aſſignant cauſam efficientem irritabilitatis, ut ille facit, qui in ſpiritibus eam ponit. Id clarius oſtendat, & grati erimus. Cæterum, ſi a ſanguinis ſtimulo repetit, & ipſe ſuperſtitem ſiniſtri ventriculi motum, habemus totum, cum explicare facile poſſimus alternos cordis motus.

Hæc & multa alia, atque ea quidem ma-

joris momenti, ad ſecundam Laghii epiſtolam reponam: cæterum exoro nunc, ut illuſtri Zinnio, recenti ſodali noſtro, vel alio viro clariſs. (niſi per te fieri poſſit) progreſſionem nervorum in duram matrem, ac tendinem committas. Fruſtra enim perſæpe ego in eos inquiſivi.

Non dubito quin doleant animalia, cum dura mater ab interiori facie irritatur. Sæpiſſime id vidi. Modo autem excogitavi inſtrumentum compoſitiſſimo Laghiano multo ſimplicius, quo premere poſſim cerebrum, & uſque ut animal non doleat; deinde irritatam ſtylo faciem internam duræ matris, abſque eo, quod vel integumenta, vel cerebrum ſpecillo ipſo vel irritem, vel alio modo premam. Hac ipſa occaſione mandatis Tuis ſatisfaciam, & quidem certiſſime; quo fiet, ut ſtatim Te de experimentorum ordine, atque eventu admoneam.

Volumen quintum Academiæ noſtræ potes Zinnio tradere clariſs. ſi ipſo careat, quod tanto magis placebit, quod ſpero opuſculum ſuum de oculis apud Somiſium eſſe, ſicuti alia epiſtola me monuiſti: ceterum liberum Tibi erit tradere cuicunque libuerit. Heſterna die ex prelo prodiit volumen ſextum, ſive Tomus IV. In hoc præſtantiſſimus Zanottus retulit, me inſcio, quæ molitus ſum in epiſtola ad Te data. Volumen hoc ad Somiſium nunc mitto, ut, data occaſione ad Te perveniat.

Gratiſſima fuerunt obſervata Tua clariſſima circa vitelli ovorum fabricam, & circa progreſſio-

greſſionem retinæ. Quæſo tantum. ut moneas an pro parte vitelli anguſtiore intelligas cicatriculam in medio vitelii locatam, quod non credo; quid intelligas pro villoſis & valvulis, & utrum viſionis ſyſtemati nova retinæ progreſſio obſit. Si quæ ex Te peto nihili facienda ſunt, ignorantiæ meæ velim, tribuas, quæſo.

Tandem quod ad peritonæum attinet, obſecro,, atque obteſtor, ut ſemel tantum id obſerves hoc modo. Separa integumenta, & muſculos abdominis ad peritonæum uſque; idque anterius, vel ad latera. Deinde manu ſepara peritonæum ipſum a carne tranſverſorum muſculorum, ſenſim progrediendo ad renes uſque, & ultra. Videbis tunc renes peritonæo tectos, ideoque unam peritonæi laminam, nempe externam, inter muſculos in lumbis poſitos, & renes ipſos. Niſi id videbis, videbis ſaltem quid me fefellerit.

Sed jam epiſtolam minus longam expoſui. Ideo contigit, quod raro ſcribere poſſum. Vale interim, Haller præſtantiſſime, & me porro amare pergas.

Dabam Bonon. die 19. Julij 1757.

40.

THOMAS LAGHI.

UT legi apud Toſettum, epiſtolam, quam ad Ceſareum Putium ſcripſi, Te perhumaniter, Vir celeberrime, excepiſſe, ſtatim dolui, eandem per alios potius, quam per me ipſum ad Te perveniſſe; fecit autem nominis mei obſcuritas, ut id non auderem.

Nunc autem humaniſſimis Tuis ſignificationibus, in ſpem erectus ſum, ſermonem hunc alterum, te non eſſe deſpecturum Rogavi ideo Cl. Ignatium Somium, ut eundem ad Te mitteret; quod ſi faciet, ut ſpero, non dubito, quin ejus ſaltem cauſa, hoc obſequii mei argumentum ſis probaturus: neque enim quidquid in eo ſermone a præclariſſimis inventis Tuis videtur diſſentire, eo animo dicitur, ut ſummæ auctoritati neque fides derogetur; ſed dubitanter potius, & ut agitata magis, magiſque celebri hac quæſtione, veritas ſyſtematis Tui nitidius fulgeat.

Nihil autem mihi optabilius, atque honorificentius accidere unquam poterit, quam Te Virum eximium ſemper colere, Tuaque ſcripta aviditſime legere; aliiſque, quod abunde obtineri poteſt, quam maxime erudiri.

Valetudinem Tuam cura univerſæ litterariæ reipublicæ commendatiſſimam. Obſequentiſſimi vero hominis, qualem me eſſe, erga Te profiteor, quæſo ne obliviſcaris.

41.

ACHILLES MIEG.

Diſtuli huc uſque, Vir per perilluſtris, reſponſionem ad ultimas Tuas die 2. Julii ad me datas; quoniam ex ante penultimis intellexi, Te ſeptimo die ejuſdem menſis iter Valeſiacum ingreſſurum, indeque poſt aliquot demum ſeptimanas rediturum; adeoque cogitavi, litteras meas, ſi citius ſcriberem, Te Bernæ non eſſe reperturas. Quum vero ſalvum Te ex eo itinere jam rediiſſe ſperem, paucis, uti promiſi, nunc commemorare viſum eſt, quæ in itinere noſtro in montem *Bölchen* vel *Ballon* nuper facto, nobis obſervare contigit. Mülhuſium nempe adivimus die 11. Jul. ubi eodem die convenerunt Comites noſtri Argentinenſes, & Dn. Gagnebin. Matutino tempore ſequentis diei perluſtravimus hortum Dn. Joſuæ Risleri, Pharmacopæi, inſigni ſane numero rariorum plantarum inſtructum, quum tantum non omnes contineat in catal. horti Carlſruhani recenſitas, pluresque etiam ibi omiſſas. Poſt meridiem autem junctim vehebamus uſque ad pagum Jungholz, ad baſin montis ſitum, cujus partem eadem adhuc veſpera conſcendimus, ut in prima caſa pernoctaremur, in dimidia propemodum montis altitudine locata. Inde ſummo mane tertii diei

diviſis

divisis cohortibus, alteram casam, quæ medio fere loco inter primam & verticem montis sita est, & ipsum demum verticem adivimus; unde circa meridiem reversi, montem rursus reliquimus a latere orientali tantum, & meridionali, nec iis satis pro meritis sane a nobis perlustratum, præcipue quoad partem ejus prima casa inferiorem; quum in ascensu accedens nox, in descensu latitudo, impedirent, quominus fere ex via discederemus: negotia autem fere nulli permitterent, quo diutius a domo abesset, ut adeo facile crederem, in vallibus imprimis, quæ in inferiori illa parte sunt, non paucas adhuc latere plantas a nobis prætervisas. Earum itaque, quæ nobis obtigerunt, catalogum mittendo, postquam de natura montis prius monuerim, eum adeo asperum, petrisque obsitum non esse, ac Basileensium plerique, sed ab omni latere pedibus satis commode conscendi posse. A basi usque ad primam casam fere ascenditur per sylvam maximam, partim abietibus obsitam, quam viam a dextro latere longe comitatur saxosa & rivulo irrigua vallis. Circa utramque casam ampla, sed acclivia, pascua sunt; inter illa vero, tum & inter superiorem earum & montis jugum partim loca graminea, partim sylvæ umbrosæ, & udæ occurrunt; ipse tandem vertex late nudus est, solo saxoso, tenuique gramine obsito; atque ibi præcipue plantæ quædam occurrunt solis alpibus alias familiares. Montis altitudo, ut

ex

ex deſcenſu barometri noſtri nobis aliquatenus pateſcat, Dn. D. Rislerus, Pharmacopæi filius curioſus ſane, ut in tranſitu eum laudem, hiſtoriæ naturalis ſcrutator, & medicinam non tantum, quam phyſicam, mechanicam, picturam, ſculpturamque amans, tale ſupra montem portandum curavit, quod vero, dum ab inferiori vel prima caſa verſus verſus verticem montis portaretur, a rudiori concuſſu penitus inutile reddebatur, ut adeo tantum eam mutationem quam a baſi ad primam illam caſam paſſum eſt accurat notare, licuerit, Mühlhuſii nempe (quod cum baſi montis in eodem propemodum plano eſt) Mercurius eo tempore, quo in monte obſervatio inſtituebatur. aſcendebat ad 27. poll. 6. lin. In caſa vero illa, quæ, uti dixi, fere in dimidia montis altitudine ſita eſt, deſcendebat uſque ad 25. poll. & 8. lineas, unde juxta Tabb. Scheuchzerianas altitudo perpendicularis a baſi montis uſque ad illam Caſam judicatur 267. org. 4. ped. 6. poll. vel 1606. ped. & 6. pollicum.

Ex plantis montis Ballon ſolam Aretiam præ reliquis a Te deſideratam nunc mitto, quæ nempe commode Epiſtolæ includi potuit. Quas vero ex reliquis deſiderabis quam primum ad Te curabo; plerarumque enim plura ſiccavi ſpecimina. Ea quidem Aretia jam defloruit, quum eam reperiremus, ſed Dn. D. Willius eandem plantulam aliquot ſeptimanis ante nos

in

in M. Ballon lectam Mühlhusium secum apportavit sub nomine Statices montanæ minimæ, eaque florem rubellum habuisse dicitur. Capsula in nostra Aretia oblongo ovalis calycem paulum excedens, basi angustior, superne retusa cum brevi simplicique stylo; cæterum unilocularis & 5. dentibus superne dehiscit, in cavitate sua continens modo duo, modo tria, modo quatuor, sex, & quando posterior numerus, qui naturalis esse videtur, obtinet, semina oblonga sunt & trigona latere exteriori convexo. Videtur potius esse species quinta quam tertia En. Helv.

Quæ de globuli sanguinei figura in ultimis litteris monuisti, Vir Perillustris, ad ea in proximis litteris respondebo, quum tempus id jam non concedat; atque ideo etiam excusabis ordinem, quo plantas recenseo, quum aliter eas disponere nondum licuerit.

Fratrem meum Erucam, quam recentem misi, non illico Tibi tradidisse doleo; eam tamen satis bene constitutam Te adhuc accepisse, eodem postea comperui.

Vale, Vir Perillustris, festinationem excusa, & Tui Studiosissimo porro ut soles fave.

Dabam Basileæ D. 3. Aug. 1757.

PLAN-

PLANTÆ

M. Jul. in M. Ballon, alias Belchen dicto, lectæ

NB. Nimis vulgares ſtudio omiſſæ ſunt.

Barba Capræ floribus oblongis C. B. P. 163. In aſcenſu verſus primam caſam juxta viam.

Caſtanea folio multifido C. B. P. 419. Hippocaſtanum vulgare. T. In Sylva ad dextram viæ ſupra pagum *Jungholz* abundat, & abſque ordine poſita eſt, quaſi ſponte ibi creviſſet.

Montia Enum Helv. ſupra caſam ſuperiorem ad fontis ſcaturiginem florebat ſimul & ſemina matura ferebat.

Aretia. foliis ciliatis linearibus, floribus umbellatis. Enum. Helv. p. 436, n. 5.? In ſummo vertice montis, ſed jam defloruit.

Cyperoides. n. 13. En Helv. p. 237. Cyp. ſpicis parvis longe longe diſtantibus. T.

Gramen nemoroſum, paniculis albis, capillaceo folio. C. B. P. 7. *Aira* n. 9. Linn. Spec. p. 65. In aſcenſu verſus primam caſam, & alibi paſſim in monte.

Gramen capillaceum, minoribus glumis C. B. P. 10. *Aira* n. 10. Linn. l. c. cum priore.

Gramen paniculatum anguſtifolium, alpinum, locuſtis rarioribus & anguſtioribus non ariſtatis. *Scheuchz.* agroſt. 164. Tab. agroſſ. 2. ſimilibus

similibus locis. Variabat locustis, 2floris, 3floris & 4floris.

Cyperoides n. 15. Enum. Helv. p. 237. In sylvosis.

Vitis Idæa foliis oblongis crenatis, fructu nigricante. C. B. P. 470. Ubique in sylvosis.

Tanacetum minus album, odore camphoreo C. B. P. 138. In ascensu montis a pageo Jungholz.

Gramen caninum paniculatum molle, *Scheuchz.* Agrost. 235. T. IV. f. 25. Ibidem. Est varietas Gram. prat. paniculati mollis C. B. calycum glumis magis acuminatis, & arista superioris folliculi non hamata, sed uti in reliquis avenaceis graminibus, articulata, & ad lineam usque ultra calycem protensa.

Genista ramosa, foliis Hyperci. C. B. P. 395. In summo dorso montis.

Hieracium Alp. fol. dentatis, flore magno C. B. Prodr. p. 65. n. 15. Enum. Helv. Tab. XXIV. In supremo pascuo montis, rarius.

Hieracium alp. non laciniatum fl. fusco C. B. Prodr. p. 65. In superioribus pascuis abunde.

Gramen spartenm juncifolium C. B. P. 5. In omnibus totius montis pascuis abundat.

Acetosa montana maxima, C. B. P. 114. (Variet. Acetosæ vulgaris) In sylvosis humidis.

Myrrhis palastris latifolia alba C. B. P. 161. Myrrhidis n. 14. En. Helv. p. 493. varietas glabra. Locis udis supra primam casam.

Gera-

Geranium batrachioides maximum: minus laciniatum, folio aconiti J. B. An varietas Geranii n. 9. En. Helv. In ſylvaticis aſcendo a ſuperiori caſa verſus montis verticem.

Meum, foliis Anethi C. B. P. 148. In ſupremo paſcuo, quod montis dorſum facit, copioſe.

Chamæmeſpilus Cordi C. B. P. 452. In ſylvaticis.

Veronica n. 1. Enum. Helv. Anagallis aquatica ſcutellata. C. B. In foſſis juxta viam ad radicem montis.

Mollugo, mont. latif. ramoſa C. B. ad radicem montis. Foliis variat acutis.

Galium n. 5. Enum Helv. Rubia mont anguſtifol. C. B. In paſcuis.

Galium Priori affine, ſed foliis verſus finem lateſcentibus, verſus radicem tantum quaternis, obverſe ovatis, panicula denſiori &c. ſimilibus.

Epilobium n. 6. Enum. Helv. Lyſimachia ſiliq. glabra anguſtifolia. C. B.

Chamænerion alpinum foliis ſplendentibus denticulatis T. Juſt. 305. In umbroſis ſylvaticis.

Roſa. n. 2. Enum. Helv. Roſa ſylv. odoratiſſimo rubro flore C. B. P. 483.. In ſupremo paſcuo.

Roſa. Sylv. pomifera minor? C. B. 484.

Roſa n. 1.? Enum. Helv. ibid.

Sonchus levis laciniatus vel Sonchus alp. cæruleus. C. B. In ſylvoſis.

Lilium n. 1. En Helv. Lilium A. reflexis montanum. C. B. P. 77. In ſupremo paſcuo.

Arnica n. 2. Enum. Helv. p. 737. Varietas uniflora in ſuperioribus paſcuis abundat, unicum ejuſdem ſpecimen legi caule trifloro.

Valeriana alp. J. C. B. Prodr. 86. Inter ſaxa in ſupremo montis dorſo.

Gentiana major lutea C. B. In paſcuis ſuperioribus abunde.

Ranunculus mont. Aconiti folio, albo flore minore C. B. P. 182. Ranunculus n. 9. Enum. Helv. In ſylvaticis editioribus & in ſupremo paſcuo.

Pulſatilla fol. albo C. B. P. 177. Anemonæ n. 5. Enum. Helv. 331. In ſupremo paſcuo, ſed jam defloruit.

Cardamine n. 2. Enum. Helv. 558. Loco udo ſylvatico.

Campanula alp. linifolia cærulea C. B. In paſcuis; vix credo, eam a vulgari differre, uti etiam *rotundifolia alpina*, quæ in ipſa noſtra urbe ad mœnium Rheni retro ſuburbium D. Albani abunde creſcit.

Circæa n. 2. Enum. Helv. 456. In ſylvaticis editioribus.

Taraxacum n. 7. Enum. Helv. 741. Loco ſylvatico infra ſupremum paſcuum.

Orobus. ſylv. anguſtif. Aſphodeli radicæ. C. B. P. 351. In ſupremo Paſcuo.

Gnaphalium ſexubus tota planta diſtinctis. Enum. Helv. 698. n. 1. Ibid.

Lina-

Linagroſtis panicula ampliore T. In udis inter utramque caſam.

Polypodium an varietas Polyp. 6. ? Enum. Helv. 139. Accedit Filix mollis vulgari accedens, non ramoſa H. Ox. III. S. XIV. T 3. fol. 7.

Polypodium n. 7. ? Enum. Helv. 140. Filix &c. H. Ox. III. S. XIV. T. III. f. 7. Utrumque in ſylvaticis & ad aliquod horum pertinebit *Filix tenuiſſime ſecta ex M. Ballon.* J. B.

Vitis Idæa fol. ſubrotundis non crenatis, baccis rubris C. B. P. 470. In ſupremo vertice.

Alſine alp. glabra. C. B. Prodr. 118. *Saponaria* n. 4. Helv. 379. In ſupremo paſcuo.

Viola montana, lutea, grandiflora C. B. P. 200. Locis udis gramineis inter utramque caſam abundat; rarius ibid. occurrit varietas, *Viola* mont. tricolor odoratiſſima.

Unifolium Enum. Helv. 288. In ſummo paſcuo.

Saxifraga n. 3. Helv. 400. *Geum* paluſtre minus fol. oblongis crenatis T. Inſt. 252. Abundat cum Montia ad ſcaturiginem inter caſam ſuperiorem & cacumen montis, ubi etiam J. B. legit.

Polygonatum fol. verticillatis. Enum. Helv. 288. n. 5. In ſylvaticis editioribus, ſed nondum florebat.

Orchis n. 21. Helv. 270. Pſeudo Orchis alp. fl. herbaceo. Mich. In ſupremo paſcuo.

Orchis n. 22. Helv. 270. *Orchis* palmata fl. viridi C. B. ſimili loco.

Orchis

Orchis n. 9. Helv. 265. *Orchis* fl. globoſo C. B. Ibid.

Orchis n. 12. Helv. 266. *Orchis* alba bifolia, calcare oblongo C. B. In paſcuo inter utramque caſam.

Orchis palmata mont. maculata, C. B. Ibid. cum priore loco udo. Variat floribus carneis & albis.

Loti n. 3. Helv. 572. ſive vulgaris varietas fl. purpuraſcente. In ſummo dorſo montis.

Peryclimenum non perfoliatum Germanicum. C. B. In ſylvaticis.

Chryſosplenium fol. alternis. Linn. Spec. 398. n. 1. In udis ſylvaticis.

Chryſosplenium fol. oppoſitis. Linn. Spec. 398. n. 2. Similibus locis; ſed hoc nondum florebat.

Digitalis purpurea fol. aſpero. C. B. in aſcenſu montis juxta viam.

Digitatis lutea magno flore. C. B. Similibus locis, rarior priore.

Digitalis major lutea, vel pallida parvo flore C. B. Ibid. frequentior prioribus.

Pyrola floribus racemoſis diſperſis, ſtaminibus piſtilliſque rectis. Linn. Spec. 396. n. 2.

Pedicularis n. 5. Enum. Helv. In ſylvaticis.

Gramen Cyperoides ex M. Balion ſpica diviſa. J. B. II. 497. *Carex* n. 7. Enum. Helv. 244. In udis.

An

An *Carex* n. 11. Linn. p. 974. An *Carex* &c. Michel. p. 70. n. 5. Tab. 33. f. 18. (non vero Synon.)

Juncus n. 20. Helv. 258. Gramen hirſutum anguſtifolium majus C. B. Prodr. 16. Paſſim.

90.

JOHANNES VIVENTIUS.

VIginti fere abhinc diebus litteras Tuas pleniſſimas humanitatis accepi, ex quibus quantum Tibi me debere intellexi, memoriæ potius, quam epiſtolaris vocis teſtimonio conſervandum exiſtimavi. Quod ad me attinet, in opii diſſertatione, Tua præeunte, atque hortante ſolertia, jamdiu, ut a Te datis epiſtolis ſignificaſſe memini, deſudantem in ea nunc diſputatione verſari moneo, num ſcilicet Hippocrates opium noverit; & an illud voce ὑπνικον denotare voluerit? Licet enim non ignorem, Valleſium, Foeſium, alioſque hujuſmodi vocabulo ſomniferum, ac ſoporiferum reddidiſſe, rem tamen attentius conſideranti mihi, attentiuſque repetenti ſpes affulget, fore ut ea quæſtio majorem capiat lucem, clariuſque definiatur.

Antequam epiſtolam Tuam accepiſſem, practicarum diſputationum tomos tres a Johanne Gravierio jam acceperam, in quibus miram ingenii Tui vim, ac felicitatem ſum admiratus.

Nunc oro, atque amabo Te (bona cum venia ac pace fiat Tua) ut doctiſſimæ diſſertationes Tuæ ex Tom. I. Acad. Götting. a me exceptæ heic Neapoli, me curante, edantur, quibus & anteloquium addam. Confluentium variolarum vehementiſſima vi, ac conſtitutione graſſante, quæ affectos octavæ Nolæ, quo pater meus medicinam facit, nono heic Neapoli ab invaſione die infantes ac retro labentibus convulſos puſtulis non ſine ſommolentia interimebat. Summam medicamentorum Tuorum, camphoræ potiſſimum, facultatem ex Opuſculis Tuis pathologicis collectam experi ſumus, quæ fere omnes feliciter evaſerunt. Illud cures oro, ut quamprimum Bouſquetius monumenta ſuper motu ſanguinis, ac diſſectæ venæ effectis, ſiquidem latine ſunt a Te ſcripta, Boerhaavii de morbis oculorum prælectiones, Boerhaavianorum Opuſculorum collectionem; de nervorum in arterias imperio diſputationem, omnia a Te edita, & ſi quas ad me habeat litteras Gravierio tranſmittat. Vale Vir Cl. rei medicæ nate.

Dabam Neap. IX. Kal. Septembres
CIↃCCLVII.

LUDO-

43.

LUDOVICUS PALLIANI.

JUbebas ut obſervationes circa nervos offi dicatos inſtituerem, quin peculiare officulum indicares, quod hiſce inſpectionibus ſubjiciendum eſſet; ideo unum vel alterum ad id pro lubitu aſſumens, maxillam quoque inferiorem ſcalpello aperiendam volui non ſane, ut viderem utrum aliquis eam ingrederetur nervus: ipſis quandoquidem de trivio ſumptis anatomicis notum eſt, per duo foramina in ejus interna facie ſita nervos ſimul cum vaſis penetrare; non hoc itaque inquirendum ſuſcepi, ſed totus fui, ut deprehenderem, an præterea, quæ dentium radicibus adnectuntur dictorum nervorum filamenta, alia conſpici inſuper poſſent, quæ maxillæ ipſius ſubſtantiæ oſſeæ forent immixta, atque hæc eſt ea, quam in puſtrema mea epiſtola Tibi retuli, obſervatio.

Iſthæc tentamina in poſterum habita a me fuerunt in oſſibus femoris, & tibiæ. In hujus poſteriori parte, quatuor aut quinque digitis infra ligamentum orbiculare ob oculos habui nervulum per foramen quoddam tranſeuntem una cum vena & arteria, quæ vaſa eo facilius a me diſtingui potuerunt, quod in inciſione paranda ramos ampliores ipſis junctos ſeroaveram. Proſequar in hujuſmodi indaginibus. Indicatus autem nervus poſtquam juxta tibiæ longitudinem, interius per pollicem, & ultra

ferebatur inter ſpongioſas ejuſdem lamellas, & ſubſtantiam reticularem iterum iterumque diviſus omnino evaneſcebat.

Operis Tui Phyſiologici editio utinam cito expediatur; eo enim uti vellem in lectionibus anatomicis, quas quinque abhinc menſibus Tyrones mei ut moris eſt, publice habituri ſunt. Parum una agit de ſanguinis natura & de effectibus phlebotomiæ juxta ea, quæ a Te Vir excellentiſſime in opuſculo ſuper hac re in lucem edito doctiſſime oſtendis.

Spondidit Toſettus ſe circa Kal. Octobris epiſtolam editurum, qua promotas a Laghio difficultates refellet.

Perge Vir optime conſueta in me uti humanitate, & dudum vale.

Dabam Romæ quarto Idus ſept. 1757.

44.

ACHILLES MIEG.

IN animo equidem habui ad Te non reſcribendi, Vir Perilluſtris, donec commemorare ſimul poſſem ſucceſſum experimenti, quod in animalis cerebro inſtituendum propoſuiſti, ut nempe locus detegatur, quo læſo oriantur convulſiones. Quum vero animal ad id experimentum idoneum, & in quo ſecure id fieri poſſet, hactenus nondum impetrare potuerim, nolui litteras diutius differre, aliis interim obſerva-

obſervationibus experimenti dicti compenſaturus, donec de eo ſcribere poſſim, quod omnino faciam, cujuſque ſocium & teſtem Stæhelinum noſtrum habebo.

Antequam vero novam materiam proferam, pauca de iis repetam, quorum in prioribus litteris jam facta fuit mentio. In penultima nempe epiſtola petiiſti, Vir celeberrime, ut globulos ſanguinis in vivis animalibus examinarem, Te enim ſuſpicari ſcribis, a ſiccitate eorum figuram mutari; quod, ſi ſentis ſanguinem adhuc in propriis vaſis fluentem conſiderari deberi, ſane non poteſt, nam & curſus celeritas & nimia globulorum retro ſe invicem poſitorum copia impediunt, quo minus eo modo figura globulorum exacte determinari queat. Experimentum tale ante aliquot jam menſes cum Dieterico inſtitui ope microſcopii ſolaris cum rana: vidi quidem in currente ſanguine globuloſi aliquid, ſed nihil quod ſatis eſſet diſtinctum. Itaque ſemper, niſi expreſſis verbis contrarium monui, experimentum ſic inſtitui: Applicui vel vitro bene pellucido vel lapidis lunaris tenui lamellæ microſcopio adaptatæ ope exigui ſtyli minimam ſanguinis guttulam, vel ex læſo aliquo animali vivo, vel, ſi humanum ſanguinem conſiderandi animus erat, ex puncto apice digiti, filo prius conſtricti, deſumtam, atque, ne globulorum nimis denſa copia figuram exacte determinare impediret, pauxillo aquæ dilutam hancque ſtatim per microſcopium contemplatus ſum. Aliam ſane viam,

viam, qua experimentum melius inſtitui poſſet non novi. Haud equidem negaverim, exiguam talem guttulam ſuper vitro vel lapide lunari diſperſam jam ex parte exſiccari, antequam ejus particulæ per microſcopium exacte conſpici queant; quantacunque demum adhibeatur feſtinatio, ſed id cum ſanguine humano æque contingit atque cum alio, ut itaque etiam prioris particulæ figuram ſuam hoc modo mutare deberent. At vero ſemper humani ſanguinis globulos globoſos, piſcium vero & avium tales conſpexi, quales deſcripſi. Id ſolummodo in ſanguinis genere contingit, ut, ſi alicubi globuli nimis denſe poſiti ſint, eorum figura ob preſſionem lateralem paulum a regulari recedat, iique ſubinde varie anguloſi reddantur, ita tamen ut ſemper figura ipſis propria præemineat. Cur autem expreſſe monueris, Vir Perilluſtris, Te ſanguinis particulas nunquam *planas* reperire potuiſſe, id ego non perſpicio, neque enim me tales, in ulla mearum epiſtolarum deſcripſiſſe reperies, ſed omnino ſemper craſſas vidi, quales etiam Te vidiſſe mones, Forſan erraſſe potui in citando Leeuwenhoeckio, id quod ex memoria aliquando me feciſſe memini; credidi nempe, illum piſcium globulos *ovales* obſervaſſe, neque ad manus ſunt ejus opera, ut ipſe nunc inſpicere poſſim. Si *planos* eos deſcribit, minime cum eo conſentio. Experimentum modo antea deſcripto ante aliquod tempus, uti petiiſti, cum ſanguine ex rana majori viva deprompto cum

Weiſſio

Weiſſio & Dieterico inſtitui, in quo ſimiliter tam ſimplicis quam ſolaris microſcopii ope globulos ex ovali ellipticos conſpexi cum nucleo diſtinctiſſimo in ipſorum medio, qualem in ſanguine humano nondum videre potui; atque id ſimul quam maxime miratus ſum globulos ſanguineos ranæ humanis eodem tempore examinatis plus quam triplo majores fuiſſe; an vero globuli ſanguinis in variis hominibus ejuſdem magnitudinis ſint, nondum examinavi Illud non minus forſan heterodoxum Tibi videbitur, Vir celeberrime! Sed noli tamen credere, me pro veris Tibi obtruſurum, quæ falſa tantum imaginatione concepi; nam bene memini, me Hallero ſcribere, Viro nempe, qui vanas cerebri fictiones non amat, quique ex veritatis amore ipſa experimenta repetere, & hinc, ſi quis ſubſit dolus aut error, facile detegere poteſt. Memini, Cel. noſtrum Danielem Bernoullium, Virum nempe, ut equidem decet, etiam non nimis credulum iiſdem obſervationibus, utpote hactenus traditæ theoriæ contrariis, diu nullam omnino fidem adhibere voluiſſe, donec tandem a Cl. Weiſſio pluribus obſervationibus ab ipſo factis plane fuiſſet de rei veritate convictus.

Non eodem modo defendere poſſum experimentum Dietericianum, quo ille animalia mortua reſuſcitare anniſus eſt. Quum enim comperuiſſem experimenta Tua ſimili ſucceſſu caruiſſe, Dietericum rogavi, ut me præſente illud cum Gallo Gallinaceo juniore inſtitueret, qui,

qui, poſtquam per tria circiter horæ minuta ſub aqua eſſet retentus, atque ſic vere ſuffocatus ad ſingulas quidem percuſſiones electricas ſubito fuit aliquantum commotus, reſſuſcitari vero nullo modo potuit.

Quum ante aliqout ſeptimanas cruris amputationi intereſſem, a chirurgo Pagano ob diuturnam inferioris articuli exulcerationem oſſium vicinorum profundam carieni in paupere femina pagi Burg Epiſcopatus Baſileenſis inſtitutæ, ei imprimis ſenſui animum adverti, quem invariarum partium diſſectione monſtraret ægrota. Vix ullos quidem gemitus edidit patientiſſima femina; videbatur tamen majorem dolorem pati in ſectione cutis, quam in ea reliquarum partium; nec gemitus edidit, cum perioſtium abraderetur, licet id rudi valde modo a chirurgo perficeretur.

Sed ad amœniora me converto, quæ nempe Botanicam ſpectant. Et quidem Valeſiacas plantas aliæque a te benigne oblatæ gratiſſimus accipiam. Plantis montis Ballon addi poteſt *Braſſica perfoliata*, a me oblita, ſed ab aliis juxta viam ad radicem montis reperta. *Alſine* quam pro *Altiſſima nemorum* C. B. falſo habui. eſt *Alſine montana latifolia flore laciniato* ejuſd. P. 257. bene depicta a Columna in Ecphr. I. p, 290 ſub titulo *Alſines hederacæ montanæ maximæ*, & a Linnæo in Spec. Plant. p. 421. recenſita cum nomine *Stellariæ foliis cordatis petiolatis, pedunculis ramoſis*, male adjuncto C. B. nomine, quod primo loco dixi. Inter plantas ejuſdem mon-

montis non ſatis etiam accurate recenſui duo *Polypodia*, quorum unum nunc video eſſe *Polypodium ſeptimum* Enum. Helv. etiam in ſylvis vicinis, præcipue circa Friedlingen, non adeo rarum, at aliquando ita diviſum, ut inter Polypodia ramoſa locari poſſit. Alterum habeo pro *Filice tenuiſſime ſecta ex monte Ballon* J. B. III. 739. Iſta quidem ſpecies affinis eſt *Polypodio* 13°. Enum. Helv, cui foliorum diviſura & dentibus ſpinuloſis aliquo modo accedit; ſed pinnæ ramorum uſque ad ſupremum fere caulem in alias denuo pinnulas ad nervum propemodum ſectæ ſunt, id quod in Polyp. 13°. in infimis tantum ramis obſervatur; Planta etiam montis Ballon tenerior eſt; habitus multo laxior; rami, horum pinnæ iſtarumquæ pinnulæ remotius a ſe invicem ſitæ & anguſtiores; maculæ tandem ſeminales rarius diſpoſitæ. Hujus plantæ unicum ſpecimen legi, ſed mittam primarium ejus ramum, ſimulque ſpecimen Polypodii 13ii. nuper in herbatione publica in dumetis infra Friedlingen ſatis copioſe a nobis reperti; quamprimum nempe ex reliquis meis plantis, quibus in ordinem redigendi horas ſucciſivas omnes impendo, ſelectæ erunt illæ, quas ſupplemento recenſionis plantarum rariorum Baſileenſium tibi tranſmittendo adjungere mecum conſtitui.

Aliam plantam dubiam initio præcedentis menſis in lapidoſis humidis ad Birſecam reperi; nempe *Chenopodii* parvam quandam ſpeciem, quam hactenus alibi non vidi, quæque eo ipſo loco

loco ita rara eſt, ut paucis diebus poſtea eandem adiens plantam non amplius reperire potuerim. Ex omnium quidem partium, colore, foliorum figura, floſculorumque ſtructura convenit cum *Blito polyſpermo* C. B. quod eſt *Chenopodium ſeptimum* En. Helv. ſed ab eo præcipue differt caulibus ſuper terram proſtratis, & floribus ex ſingulis foliorum ramorumque ſummitate, non in racemos nudos ramoſoſque, ſed in ſpicas denſiuſculas atque foliolis intermiſtas digeſtis; ſtamina non ultra tria numerare potui. Varios auctores hanc plantam cum Blito polyſpermo C, B. confudiſſe animadverto, a quo tamen, ob rationes modo dictas omnino diverſa eſſe videtur; ſuſpicor nempe eam eſſe *Blitam album minus* C. B. Baſ. p. 34. P. 118. Enim vero ſatis commode plantam meam exprimunt ſynonima ab ipſo ad hoc nomen citata, ad quæ pertinere etiam videtur *Polyſpermum Caſſiani Baſſi Anguillaræ* Lob. Ic. 256 & *Blitum erectius ſ. tertium Tragi* J. B. II. p. 967. tam ob iconem quam ſynonima, licet in deſcriptione plantam erectam cum pleriſque reliquorum dicat. In ſimetis vero, in quibus ſuam plantam creſcere refert C. B. meam nondum videre licuit; in quibus equidem copioſe apud nos provenit *Amaranthus foliis ovatis emarginatis* En. Helv. egregie a Camerario in Epit. p. 236. ſub titulo *Bliti albi* delineatus, ad quem ideo *Blitum rubrum minus* C. B. pertinere vix dubito.

Cl. Ramſpeckium ex tuo juſſu ſtatim poſt litteras acceptas adii, illumque jam tranſmiſiſſe audio ea, quæ ab ipſo petiiſti. In

In prioribus litteris quædam ſcripſiſti de variolarum inſitione in propria filia inſtituta, quam tamen nullum inde morbum contraxiſſe retuliſti, *bis licet de aliis hominibus renovato pure.* Iſte caſus aliquam ſimilitudinem habere videtur cum illo, quem in uno eorum ſubjectorum, quæ ego inoculavi, animadverti; alio nempe tempore ſcripſi, inſitionem in puero quodam a me inſtitutam nullas ſecutas eſſe variolas, vulnera tamen per plures ſeptimanas ſuppuraſſe. Cuperem vero accuratius ſcire, quantum caſus filiæ tuæ iſti ſit analogus, & idem deſiderant illius pueri parentes, ſemper adhuc uti videtur, de infante ſuo meticuloſi, quorum animum analogo, eodemque recenti exemplo confirmare hoc modo poſſem, qua propter velim, Vir perilluſtris, certiorem me facias, 1°. an etiam ſuppurarint vulnera in filia? quonam modo profuerit renovatum, utrum nempe ſingulis vicibus nova fuerit facta inciſio, an vero nondum ſanatis vulneribus plumaceolo novo pure imbuta fuerint applicata?

Hiſce vale, vir celeberrime, Tuique nominis ſtudioſiſſimo cultori porro, ut ſoles fave.

Dabam Baſileæ d. 18. Octobr. 1757.

45.

CALDANUS.

ALteram Laghii epiſtolam altera reſponſio mea, jamjam confecta ſequetur. Prodibit vero una cum

cum quinta Tosetti epistola & fortassis etiam cum prima Felicis Fontanæ, inter amicos meos dilectissimi.

Quamvis Laghium ad experimenta revocaverim bis ac tertio, nondum tamen accessit; aliis semper, ut ipse ait, occupationibus distractus. Hac ipsa tamen hebdomade experimenta instituam de cerebro, ut mandatis tuis satisfaciam. Instituere adhuc non potui, tum quia animalibus ad id opportunis carebam tum ob alias rationes easque graves.

Audio Te, virum celeberrimum ad Laghium aperte dixisse, persuasum esse, quod nervi tendines subeant. Hæc monet publice Laghius; vellem autem ex te rescire.

Libellis Lausannæ editis, & Zinniano opere de oculis, quæ omnia impatienter expecto, nescio quo fato, adhuc careo. Hac de ratione serius fortasse prodibit epistola mea, non enim recte recordor quid de sensu arteriarum dicas, ubi de sanguinis motu, & de phlebotomia disseris. Quia tamen videtur mihi dixisse te observare non potuisse quod nervi arteriarum socii arterias has ipsas subeant, & quod possunt arteriæ tum hominibus, tum brutis animalibus ligari absque dolore, iccirco Laghium redarguo, tum quia experimenta contrarium suadent, tum quia non intellexit mentem Tuam, id an recte an injuria fiat ex te scire vero. Qua de re vides, quam impatienter responsionem tuam expectem.

Duobus abhinc mensibus, & ultro, ad Somnium curavi quartum Academiæ nostræ tomum,

mum, ut ad te mitteret. Hac de re librum hunc te jam accepiſſe perſuadeor.

Monuiſti olim Cl. Brocklesby experimenta cepiſſe de ſenſitivitate & irritabilitate, atque ex voto rem totam ceſſiſſe. Poſtremis Philoſ. Tranſact. Bononienſes omnino carent, quare vellem prolixius rem hanc exponeres, tomum & locum admoneres, ita ut experimentis meis auctoritatem & pondus addere poſſim.

Vale interim vir præſtantiſſime, qui tanto literratorum commodo vales, & me, ut ſoles, ama.

Dabam Bononiæ die 17. Oct. 1757.

P. S. Extra ingratiſſimam patriam vel medicinam facere, vel anatomen tradere deſidero; qua de re, ſi quando occaſio ferat, patrocinium tuum vehementer expoſcio.

46.

ACHILLES MIEG.

PLantarum Alpinarum faſciculum bene accepi, & pro gratiſſimo hoc dono grates viro per illuſtri ſummas ago, qui ejuſmodi plantis herbarium meum locupletare voluiſti, quibus forſan abſque tua liberalitate omni tempore carere debuiſſem. Polypodia aliaſque varias plantas jam pro te ſepoſui ſed differam earum miſſionem, dpnec tandem reliquarum plantarum hoc anno collectarum examen finiverim, ut ſupplementum promiſſum & Catal. Trajectinenſium

ſium ſimul addere poſſim, id quod vix ante vernum tempus futuri anni fieri poterit, quum præter practica negotia etiam anatomicæ ſectiones in theatro noſtro communiter tempus hyemale fere omne auferant.

Aſilnes hederaceæ mont. maximæ Column. caracterem in recenti planta fere neglexi; in ſicca vero planta, quanta potui præciſione examinata, florem ſequenti modo conſtructum reperio: Calyx pentaphyllos, foliolis lanceolatis, obtuſiuſculis, leviter hirſutis, viridi ſplendentibus, nervo medio conſpicuo notatis, & margini albo tenuiſſimo cinctis. Petala quinque, candida, calyce pluſquam duplo longiora, ad tres quartas circiter partes in duas anguſtas lacinias diviſa. Stamina decem, petalis dimidio breviora, alterna paulum legiora. Tubæ tres, longiuſculæ, ſtigmatibus obtuſio. Pericarpium ovatum, uniloculare, polyſpermum, ſeminibus ad placentam columnalem flavis, rotundis compreſſis.

Chenopodium in priori mea epiſtola deſcriptum, diverſiſſimum eſt ab Amarantho foliis emarginatis, etiam apud nos communi, &, niſi diſtincta plane ſit ſpecies, potius ad Blitum polyſpermum C. B. referendum, a quo, ſi decubitus caulium nihil ad diſtinctionem facit, vix alia re differt, quam florum diſpoſitione in ſpicas foliolis intermiſtas, cum Blito polyſpermo flores ſint in racemis divaricatis nndiſque, quemadmodum Tabernæ montani & Camerarii Jeones exhibent.

Per-

Percuſſio electrica Gallum Gallinaceum emovit, meo quidem judicio, vere emortuum, quamdiu adhuc aliqua membrorum flexilitas adfuit. Penitus vero rigido reddito animali nullus amplius motus etiam ad fortiſſimam percuſſionem fuit obſervatus. An etiam ſola ſcintilla abſque adhibita percuſſione idem efficiat, non probavi.

Cuniculos ad experimentum a te propoſitum non idoneos eſſe antea credidi, quod vita eorum nimis debilis eſſet. Nunc vero ex tuo conſilio illud in his animalibus primis diebus inſtituam, & ſucceſſum tranſcribam. Quod vero ſanguinis globulos attinet, in eos, quoties occaſio dabitur, de novo inquiram, & ſedulo animum advertam, ne aliquis error irrepat, ut ſic prioribus meis experimentis vel novum pondus addam, vel eorum falſitatem ipſe detegam.

Pergrata fuerunt, Vir perilluſtris, quæ de Filia Tua ſignificaſti: Video enim caſum eſſe ſimilem ei, qui obvenit in puero a me inoculato, niſi quod ego repetitam novi puris applicationem, utpote a Medico domi ordinario prohibitam, invitus omittere debuiſſem. Sed eadem illa puris repetita abſque effectu applicatio, quod veriſimiliter etiam in meo ſubjecto contigiſſet, de hujus ſecuritate non minus certum me reddit, puerique illius parentibus plenam reddidit animi tranquillitatem. Vale, Vir celeberrime, Tuoque favore porro me complectere.

Dabam Baſileæ d. 26. Oct. 1757.

47.

ACHILLES MIEG.

HAud dubitans, Vir perilluſtris, quin ultimam meam epiſtolam juſto tempore acceperis, nunc tandem, prout jam diu deſideraſti, ea tranſcribo, quæ de loco Cerebri maxime ſenſibili ex Cuniculis diſcere potui, ſatis licet imperfecta, quum experimentum bis repetitum non penitus ex voto ſucceſſerit, ob diverſas cauſas non adeo facile, quidem variam difficultatem pariunt, uti anguſtum ſpatium pro trepani applicatione, Cinnabaris, quando ſcalpellum infigitur, nimis facilis remanſio, difficilis ablatio ſatis magnæ portionis cranii, ut Cerebri ſufficienter denudati lamellæ ad debitam profunditatem commode auferri poſſint, & ipſa denique partium cerebri in eo animali exiguitas; quæ difficultates in minoribus animalibus pleræque augentur; uti in majoribus vel mordacibus a læſionis periculo. Interim tamen, donec accuratiora diſcere liceat, ea perſcribere viſum eſt, quæ duo experimenta, præſente & adjuvante Cel. Stæhelino, Anat. & Bot. apud nos Profeſſore inſtituta; me docuerunt, ne promiſſum me penitus neglexiſſe exiſtimes: Firmato nempe cuniculo cruciata ſectione abſtulimus primo in uno capitis latere cranii tegumenta, eatenus ut modiolus commode applicari poſſet; & cutis quidem tum & vicini muſculi temporalis ſectionem ægre ſuſtinuit animal,

mal, quod in pericranii abrasione nullum doloris signum edidit; dein ablato ope modioli in dextro osse bregmatis, cujus magnitudo capiendo eidem vix suffecit, cranii circulo, dura mater puncta, secta, dilacerata fuit, & tamen animal in perfecta quiete mansit; idemque contigit, dum acutum scalpellum, cui terebinthina prius illinita cinnabaris subtiliter pulverisata fuit aspersa, binis locis duabus circiter tribusve lineis a linea medium cerebrum dividente (nullum enim sinum longitudinalem venosum distinguere potuimus) perpendiculariter ad basin cranii usque infigeretur; at vero scalpello retracto, denuoque per idem foramen versus cerebri posteriora oblique deorsum lente immisso vehementer convelli cœpit animal, antequam scalpelli apex basin cranii rursum attingetet, itaque constricto collo illico illud penitus suffocabamus, & ablata superiori atque posteriori calvariæ parte, quod partim serra partim forcipe fieri debuit, cerebrum, quantum fieri potuit, ab ossibus & dura meninge denudatum per lamellam, uti vulgo fieri solet, scalpello sensim auferendo, in punctura rum decursum inquisivimus: sed non absque molestia vidimus, cinnabarin maximam partem remansisse, & vix per unam alteramve lineam cum scalpello penetrasse, licet ad singulas puncturas nova aspersa fuerit cinnabaris. Id quidem videre licuit, duas priores puncturas per anteriorem ventriculum, & unam quidem juxta internum latus striati penetrasse;

ſcalpellum autem juxta ſellam turcicam in baſin cranii impegiſſe videbatur; tertia vero punctura, quam convulſiones excitaſſe dixi, decurſum & terminum detegere oculis plane nequivimus; id ſolummodo, tam ex obliquitate & profunditate demiſſi ſcalpelli, quam ex ſitu partium cerebri cum ſe invicem comparatis, conjecturare licuit, ſcalpelli apicem, quo tempore animal convellebatur, medullæ oblongatæ principium mox retro proceſſus petroſi apicem attigiſſe. Hæc ex ſecundo experimento didici, nam illud, quod primo loco inſtitui, minus bene fuit paratum; nempe, nondum ſatis bene tum noſſem oblongam cranii in hoc animali figuram, trepanum, cujus etiam corona nimis magna tum ad manus fuit, nimis antrorſum & mox ſupra orbitam dextram applicui, unde factum, ut difficulter ob oſſis inæqualitatem procederet orbiculi exciſio; atque etiam inſtitutis puncturis ob defectum forficis cerebrum ſolius ferræ ope tunc non ſatis denudari potuit, quamobrem tum & propter difficilem cinnabaris introitum nihil detegi potuerat de puncturarum decurſu, quarum etiam tres fiebant uti in altero animali, duæ nempe perpendiculares ad baſin uſque cranii, tertia ſcalpellum oblique retrorſum dirigendo; & quidem duæ priores puncturæ prope exitum nervi optici in baſin cranii impegiſſe potuerant, eæ etiam abſque animalis motu fiebant, tertia vero, quæ propemodum oblongatæ medullæ principium attigiſſe videbatur, convulſiones excitabat, minus

nus tamen vehementes, quam tertia punctura in altero animali. Cæterum, quæ de perioſtei & duræ matris inſenſilitate prius dixi, ea etiam in hoc experimento animadverti.

Et iſte quidem fuit, Vir perilluſtris, tentaminum meorum ſucceſſus, quem ideo imprimis feliciorem optaſſem, ut accuratiori locorum cerebri ſenſilium deſcriptione diuturnam experimenti dilationem compenſare potuiſſem. Itaque rogo, velis bonam voluntatem facto annumerare, neque ideo de favore in me Tuo, quem maximi habeo, ſemperque habebo, quicquam detrahere. Cæterum cura ut valeas:

Dabam Baſileæ d. 7. Dec. 1757.

48.

CALDANUS.

NOndum accepi, Haller præſtentiſſime, quæ mihi deſtinata ſunt. Monet autem amicus Somiſius, omnia apud ipſum exſtare, excepto opere Zinniano, quod vehementer deſidero, & quam primum ad me eſſe perventura. Is ipſe Somiſius reddet Tibi collectionem Bononienſem & reddet, ut ſpero, quam citiſſime. Quartum Academiæ noſtræ tomum, id eſt volumen ſextum, Te jam accepiſſe perſuadeor.

Completa jam eſt reſponſio mea ad Laghium. Toſettus vero nondum ſibi ſatisfecit, pariter & Fontana. Id unum mihi ſupereſt, difficultatem nempe evulgandi quæ molitus ſum: In Ita-

lia enim propter collectionem integram Bononienſem, quæ ex ordine ſequetur, evulgari non poſſunt; cum bibliopolæ opuſcula imprimere recuſent, quæ certo certius collectioni addi debent. Quare ſi manuſcripto contentus ſit impreſſor Lauſannenſis, curabo ſtatim ut habeat, Tuoque clariſſimo nomini inſcribam. Moneas ergo an id faciendum mihi ſit, nec ne. Si faciendum, epiſtolam redde reſponſoriam Morgagno clariſſimo, quam primum enim Patavium peto, ut ipſum Morgagnum alloquar.

Interim Fontana plurima pericula inſtituit de iridis irritabilitate. Cono chartaceo larga baſi, apice vix aperto crâdios lucis determinavit in fundo oculi, abſque eo quod conus lucidus iridem adtingeret, tuncque pupilla quam maxime arctata eſt. Eundem lucidum conum ſupra iridem determinavit, cavens ne radii pupillam introirent, & Iris immobilis perſtitit. Lux ergo non agit immediate in Iridem (quod ego ſemper arbitratus ſum) ergo iris non eſt immediate irritabilis; ſed tantum moratur commoto viſus organo primario. Tandem poſt multa capta pericula didicit pupillam arctari in ſomno tam in brutis, quam in hominibus, eoque magis arctari quo plus dormitur, didicit quod ſi intentis oculis in objectum quamvis lucidum inſpiciamus, pupillam ſenſim dilatamus. Excuſſo animali derepente pupillam dilatatam obſervat, contra quam fit ſi dormienti oculos blande aperiat. Arbitratur inde naturalem pupillæ ſtatum conſtrictionem eſſe. Explicat Phænomena; ſed

inter

inter hoc unum ſolummodo negotium ipſi faceſſit; quare nempe in amauroſi pupilla dilatata ſit. Pericula hæc edere vellet, prius vero acerrimum judicium Tuum expoſcit.

Plurimum Tibi debeo, Vir præſtantiſſime pro beneficiis in me collatis, & pro iis quæ deſideras conferenda. Ita ſe res habet. Laboribus meis continuis nullum in patria præmium eſt. Ubi deeſt præmium, deſunt nummi, & doleo illuſtrium hominum opera, inter quæ certe Tua ſunt numeranda, me non poſſidere. Vix Ars medica, atque Chirurgica tantum emolumenti affert, quantum ſufficit prp ſuſtinenda familia mea, quæ nullam aliam ſpem quam meam implorat. Interim longam vitam, atque incolumem Tibi, Haller præſtantiſſime, a Deo admprecor, ut litterarum, & amicorum Tuorum bono valeas.

Vale itaque, & me, ut ſoles, plurimum ama.

Bonon. d. 22. Dec. 1757.

49.

ACHILLES MIEG.

LIcet vix ulla nova litteraria Tibi hac vice tranſcribenda habeam, nolui tamen reſponſionem ad ultimas Tuas d, 7. hujus menſis ad me perhumaniter ſcripta differre, quod inde cognoverim, Te de ſtatu Urbis noſtræ eſſe ſollicitum.

Si-

Simllia etiam alii Berna huc ſcripſerunt, & frater quidem meus totus terrore impletus retulit, apud vos duorum generum ſermones fuiſſe diſſeminatos; alios nempe de ſeditione ideo orta, quod novos cives recipere voluerit Magiſtratus, alios de Urbis incendio quatuor ſimul locis per incendiarios inſtituta. At minus adhuc verus eſt rumor iſte, quam Tigurinus olim ille, ſiquidem per Dei gratiam tranquilla hic omnia ſunt. Priori autem illi rumori anſam dediſſe videtur deliberatio nuper, inita nec adhucdum finita, de optimo modo augendi civium numerum à pluribus jam annis per crebras mortes decreſcentem; in quam rem varia quidem pro & contra aliquo cum zelo fuere dicta, attamen non tanto, ut inde ſeditio metuatur. Alter rumor ſequentem habere potuit cauſam: Auctor novorum publicorum per litteras ab inferiori Rheno ab anonymo quodam initio hujus anni acceptas amice admonitus de infortunio quodam, quod vel domui vel ipſius vitæ circa ſextum Januarii diem a malevolis aliquot Baſileam idcirco profectis, inſtante, conſulibus id indicavit, qui ab eo tempore militum numerum in prima ſtatione noctubus augeri, hoſpitia diligenter explorari, atque plateas plures circuitoribus perluſtrari juſſerunt, unde factum, ut, quum ab initio auctæ hujus vigilantiæ ratio ignoraretur, varii varia fingerent infortunia toti urbi metuenda; idque eo magis veriſimile ipſis videbatur quod paucis antea diebus fama per urbem fuiſſet ſparſa, aliquot cen-

centenos incolas ſylvæ nigræ proxime pagos Riehen & Bettigen Ditionis Baſileenſis, armatos adveniſſe, ut dictos locos ſpoliarent, inde tamen a vicini alicujus pagi præfecto adhuc arceri potuiſſe; huic nempe rumori, quantum comperui, anſam dedit publica quædam venatio (*eine Treibjagd*) ibi locorum tunc inſtituta. Sed ſufficiant iſta de terrificis ejuſmodi mendaciis, faxitque Deus, ne quando vera infortunia ſequantur.

Siccas, quas Viro perilluſtri promiſi, plantas, quibus etiam dubiam illam Chenopodii ſpeciem vel varietatem addam, vere demum mittere poſſum, quum, uti jam ſcripſi, hyemali tempore ad eas de novo examinandas occaſio & tempus deſit. Si gramina tranſmiſſa examinaſti, percuperem ſcire, inter alia nomen rarioris illius Graminis Friedlingenſis, quod pro dubia Phalaridis ſpecie miſi; nam, ſi novum eſſet, Stæhelinus vel ego id pro Actis Helveticis depingendum curaremus,

Weiſſius, quem aliquoties jam laudavi, de globulis ſanguineis diſſertationem componit, quam Actorum Helveticorum quarto volumini olim inſerendam curabit. Horum Actorum tertium volumen proxime prodibit, cui ipſe duas obſervationes inſerui, jam ante 20. fere menſes curatori traditas, unam de ſectione Cæſarea in Fele inſtituta, quæ, exemtis per inciſionem tribus catulis, undecimo poſtea die fetum adhuc vivum per viam naturalem edidit, & ab eo etiam tempore ſæpius peperit, alteram de

ossis frontis fractura lethali cum insigni fissura inde per futuram squammosam, partem cognominem ossis temporum, & ipsum os petrosum penetrante. Sequentibus voluminibus destinavi, si Deus vitam & sanitatem concedet, Historiam hydrophobiæ a morsu canis non rabidi (quantum equidem comperire potui) ortæ. Observationem de vera luxatione femoris a violentia externa orta citoque & feliciter restituta: Dissertationem de variolis insititiis, variaque ad Botanicam spectantia.

Dabam Basileæ d. 11. Jan. 1758.

50.

JANUS PLANCUS.

LItteras Tuas humanissimas ipsis Kalendis Decembris datas non accepi, nisi circa nonas hujus mensis, causam huius moræ tabellariorum Mediolanensium negligentiæ, & avaritiæ tribuas velim, ut ex Ughio nostro cognosces. Lætor ad Te perveniisse varia scripta mea una cum Hippiatricis Bonsii; miseram quoque pro Te ad Morgagnum nostrum una cum epistola mea, quæ de conjecturantium Academia optaveras, quæ ad Te adhuc perveniisse non audio. Ita ad me adhuc non pervenerunt, quæ ad me misisse dicis, & maxime, quæ valde opto, Felicii nostri,

Sequenti vere curabo ut Orchides noſtræ diligentius colligantur, & depingantur. Sunt enim Ordhides Plantæ, quæ in exſiccatione plerumque corrumpuntur.

Pergratum mihi erit, ſi emendaveris ea, quæ monui emendanda eſſe. Hiſtoria Medicinæ Italicæ vix ſperanda eſt, propter ſocordiam Medicorum noſtrorum, qui tantum perfunctorie plerumque operam dant arti iſti nobiliſſimæ, & generi humano ſalutari. Mazzuchellius Vir non admodum perſpicax opus immenſum parat de ſcriptoribus omnibus Italiæ noſtræ ordine alphabetico digerendum, & jam edidit duos tomos in folio ſcriptorum littera A. contentos, modo in eo eſt, ut edat auctores littera B. contentos, inter quos ego propter nomen meum Italicum pars exigua non ero. Verum Mazzuchellii labor vita unius hominis perfici nequit, nec ab unico Viro rebus aliis intento, & certis ſubſidiis deſtituto. Attamen Mazzuchellii conatus non omnino ſunt ſpernendi.

Audio quid ad me ſcribas de nova editione commentarii Gallica lingua exarati circa formationem Pulli, & circa formationem Oſſium, quæ a me avide legentur, præſertim ſi novi quid contineant.

De natura ſentiente & irritabili ſecundum ſententiam Tuam & contra eamdem duo Tomi in 4°. Bononiæ circa finem anni proxime elapſi prodierunt, ut Tu ex Caldanio noſtro facile noveris. Curaveram ego, ut autor Diarii Florentini in referendo libro iſto partes tuas teneret, ſed

ſed reviſor librorum edendorum, qui Florentiæ modo Proquæſtor eſt, homo Ligur & pene Allobrox, quædam in relatione admiſcuit de ſuo, quæ favent Taurinenſi homini & contradictionem involvunt rebus ab initio dictis. Quid contra te effutiat Dominicus Vandellius, alterius Dominici Vandellii dignus Nepos, ſeu fratris filius, qui contra me inepta quam plurima effutiit, plane non legi, & fortaſſe nunquam legam. Litteras tuas exiguas ſtatim Romam ad Ludovicum Palianum miſi, ut ex ipſo audies.

Vale, Datis Arimino a, d. 3. Kal. Februarius anno CIↃIↃCCLVIII.

§ 1.

NICOLAUS ROSEN.

EX litteris Tuis intelligo meas ad Te Göttingam miſſas recte non perveniſſe. Prolixi interim Tui in me animi ſolitique favores plura indicia agnoſco, Volumina diſſertationum Chirurgicarum, Medicarum partes tres & partem VIII. Tabularum Anatomicarum, quæ huc perferenda curaſti recte accepi, ſuntque mihi hæc omnia inſtar muneris gratiſſimi. Iter in Palæſtinam Haſſelquiſtianum & Osbeckianum in Sinam, nec non Miſcellanea, typis publicis, in lucem edita, tranſmiſi: Muſeum Regium a Barone Knorring ad Te miſſum, brevi, in ma-

nus

nus tuas traditum iri confido. Fluctus eheu ! in comitiis proximis motos, jam auſpicatos conſediſſe, eſt quod nobis Patriæque univerſæ congratulemur.

Annonæ caritate ſumma premuntur colonorum noſtrorum plurimi. Meliora num ſperaveram. Honorificum & novum munus, quod mihi deſignarunt Ordines Regni, declinavi & declino, uſque dum tranquillæ fuerint res noſtræ. Gratiam Auguſtiſſimi Regis, qui mihi nobilitatis jura conceſſit, & equitem de ſtella Boreali renuntiare dignatus eſt, veneror, ejuſque honoris, pro amicitiæ noſtræ jure, Te certiorem facere omnino debui. Inter Medicos & Chirurgos noſtros haud levis oborta eſt controverſia, cum vero a partibus medicorum eſſet ordo nobilium & Clerus Regni, Chirurgos vero defenderet ordo civium & ruſticorum, ad Regem Regiumque Senatum illam examinandam & dijudicandam detulere ordines Regni: Qualem vero lis hæc ſortitura ſit eventum, nondum liquet.. Secretarius Wargentin cum conjuge ſua, beati Baronis Harleman ex ſorore filia, recte ſe habet. Quemadmodum Dalinus, qui hiſtoriagraphi Regni munere nunc fungitur, in hiſtoria Suecana abſolvenda eſt occupatiſſimus. Quartana febris, uti anno 1719. 1732 & 33. ita & nunc morbus eſt Epidemicus. Inoculatio variolarum feliciter ſemper apud nos cedit, utque prævenirem omnes objectiones effeci, ut ſimul typis evulgarentur mea methodi commendatio in calendariis, verſio

ſio opuſculi Dni. Chaiſs in linguam ſuecanam, & libellus Dni. de Schulz, quem una cum aliis ad Te jam mitto. Opuſculum Dni. Bar. Brauner, Dni. Boye, novam editionem ſyſtematis naturæ Limæi, Lexicon œconomicum Dni. Carleſſon una tranſmittam.

In hoc ultimo & epitome vides omnia, quæ heic prodierunt & Oeconomiam ſpectant. Spigeliam Anthelmiam veram adhuc experiri non licuit. Quid ſit *Fava Pecurey* mecum ignorat Linnæus, ſupremum tamen vidi eſſe remedium in Diarrhæa, etiam colliquativa Phtiſicorum. E Portugallia Fabas aliquot accepi. Odorem habent ligni Saſſafras. Oleum Dni. Langhanſen phthiſicis noſtris ſolatio non fuiſſe doleo. Scillæ connubium cum camphora uii doces tentabo. Dolorem ſtomachi & vomitum cochlearibus aquæ cinnamom. ſ. v. præcaveo. Tæniam expello exhibendo hora 6. gr. quarta matutina purgans quoddam v. gr. Rad. Jalappæ & hora 7ª. matutina ſuadeo ut ſuperbibant cong. j. aquæ cujuſdam mineralis ferratæ. Ad fontem ſoterium *Sätra* dictum (in Weſtmannia) pluries ſaccelliſſe vidi. Dum vivus expellitur vermis, ceſſat omnis ejus motus aqua frigida affuſa, ſuperfuſa vero calida ſe de novo movere incipit ideoque epota frigida aqua minerali ceſſat vis qua reniti ſolet actioni remedii purgantis, quæ vero ipſa eadem nec tollitur nec minuitur. Belladonna 4. hydropicos ſanaſſe Dnum. Gataker narrant. Remedio antivenereo Dni. van Swieten ſemel uſus ſum miro cum ſucceſſu. Forte idem efficax

erit

erit in ſcabie, herpete & in variolis. Chinchina plurimos ſanavi odontalgia vexatos periodica. Vale amicorum integerrime. De cætero exiſtimes velim me vivere.

Upſal. Die 20. Febr. 1758.

52.

MORGAGNUS.

TAndem unis & alteris litteris Tuis, illuſtris amice, reſpondeo. Datæ erant primæ die 29. Sept. alteræ d. 28. Jan. ſed illæ ut has exſpectarem, fecerunt: hæ dum publice anatomen docerem, allatæ ſunt. Verum hæ dilati reſponſi cauſæ non prohibuere commendatas a Te epiſtolas ſtatim ad Varum mittere & Caldano dare: qui experientiſſimus Vir ſumma qua eſt comitate voluit omnia, quæ dixi hoc anno, audire, ex quibus cum alia fortaſſe; tum illud certe ipſi placuit, quod, ut ſemper facere conſuevi, Te non modo ſæpiſſime, ſed ita laudavi, ut ſimul inter anatomicos eximium, inter amicos chariſſimum Te mihi eſſe, omnes intelligerent, Tuo utrumque merito. Quod ſi faſciculus, pro quo gratias ago ſingulares, continens Tomum primum Phyſiologiæ Tuæ, non eodem tempore ad me perveniſſet, quo anatomen aggreſſus ſum; alia certe, atque alia quæ libenter dilaudarem, haurire inde potuiſſem, quan-

quantum his primis poſt anatomen abſolutam diebus, librum avide hic illic verſando, cognovi. Si facere, vel antequam perlegam, mihi ſatis eſt, ut ex animo gratuler, horterque maxime, ut; quod tamen ſine valetudinis Tuæ incommodo facies, ſtrenue pergas, & univerſum opus ſane utiliſſimum perficias. Quæ in faſciculo addidiſti, grata fuerunt, Meckelii inprimis, & Mathematici pro quo Tuæ humanitati iterum gratias ago. Utriuſque ſcripti exemplar alterum, Planco a Te deſtinatum, eidem per bibliopolam Paſquali mittendum curavi. Ipſe vero in obſignata grandiori ad Te epiſtola duo illa a Te optata miſit opuſcula, paulo poſtquam meus ad Te faſciculus in via erat; erat autem vel tunc in via, cum Tuæ illæ primæ litteræ ad me pervenerunt. Nunc Caldano, mox diſceſſuro, ſtatui commendatas una cum Pujati novo libro, & novo item Paſtæ, quotum utrunque meum olim auditorem tanto magis diligo, quanto uterque magis ſuis ſcriptis meretur. Pujatus qui meus in Gymnaſio Collega nunc eſt, a me petiit ut ſuo nomine ad Te mitterem, Paſta autem ut mea ſaltem. Hæc igitur noſter Caldanus in parvum faſciculum omnia compinget, ac mittet, quando necdum mihi, quærenti alioquin, & quæſituro, novos alios ex Italia libros nanciſci licuit, quos in majorem faſciculum concluderem, & ad te mitterem, ut qualicunque ratione Tuæ erga me tantæ liberalitatis reſponderem. Ecce enim tres alios Tuæ Practicar. Diſpp. collectionis Tomos mihi

deſti-

deſtinas, & quæ ex ovis incubatis ſolertiſſime reperiſti. Noli credere & me quidquam libentius legere, quam tua & a Te miſſa. Quæ ut certiores perveniant, ſicut monet Paſta, a Te peto, ut Tiguri tradenda cures Henrico Meyer qui ad Felicem Weber, quocum habet mercatorium commercium Bergomum mittet, Paſtæ ibi commendata. Mirificum ſane ſpectaculum eſt quod narras, & quod ab alio narratum non facile crederem. Conſultus quidem ſum pro magnis prolapſibus, ſed non tantis. Quam vellem poſt obitum corpora ejuſmodi, quod nunc haud memini quenquam feciſſe, perluſtraſſe.

Graviſſima profecto ſunt quæ ſtudia noſtra quoque in Germania patiuntur. Sed in bellis talia accidant, neceſſe eſt. Quo magis Deus orandus eſt, ut pax redeat, quam nemo poſtea rurſus turbet.

Sed & mihi hic grave accidit, novellis, quod ſeniorem inter alumnos meos amiſerim Doctiſſimum Pontederam. Qui mortui locum tenet, non ſine ſpe fore ſumus communem auditorem Vitalianum Donati.

Mihi nihil ejuſmodi cogitanti, imo poſt annum quadrageſimum ſextum, ex quo hic ſum, miſſionem roganti, ſereniſſima hæc reſpublica annuum illud honorarium munificentiſſime decreuvit; quod non niſi ſemel, idque anno 1670. alteri dederat, id eſt ducatos argenteos bis millenos. Parabo ſi potero, quippe qui annum hoc ipſo die compleam ſeptuageſimum ſextum

ſpiſ-

ſpiſſum meum opus, quantum per occupationes alias licet, urgeo; & ut ſpero abſolvam. Crebra in eo mentio de Te eſt, illuſtris Hallere, ut poſteri olim non minus ex meis, ſi mea tamen tamdiu durabunt, quam ex Tuis ſcriptis. ut vel ex hoc ultimo, cognoſcant, quanta inter nos fuerit benevolentia. Quam Morgagno Tuo ſervabis, & ad ejus ſolatium bonumque publicum valebis.

D. Patavii dio 25. Februarii 1758.

53.

LUDOVICUS PALLIANI.

SIlentium, quod nos per plures menſes detinuit, fas eſt, ut hic rumpam quæſiturus ex Te notitias, utrum quemadmodum vehementer opto, bene valeas; utrum tua, prout arbitror, pergant experimenta, utrum tua Phyſiologia hactenus prodierit e prælo, plures docti Viri mihi, Tibique amiciſſimi me frequenter adeunt, ac rogant, ut ſtatim ac tanti, tantæque expectationis, operis mihi innoteſcat editio, hanc eis illico ſignificem.

Unus ex noſtris hiſce Profeſſoribus publicam habuit Anatomicam diſſertationem circa Thymi ſtructuram, atque uſum; arbitrabatur vero ei prædictam glandulam muneri inſervire, ut ex integra ſanguinis maſſa ſubſtantiam quandam lac-

lacteam nutriendo fetui neceſſariam ſecerneret. Iſthæc autem opinio, quocumque modo ſpectari debeat, licet prorſus nova per ſe non ſit, tanquam noviſſima proponebatur.

Nunc tyrones mei verſantur ut moris hic Romæ eſt, in publicis agendis anatomicis demonſtrationibus, in quibus ſolertiſſimæ, qua polles in obſervando, diligentiæ perſæpe mentio fit: earum una, quæ die octava Februarii fuit expoſita, egit de partium irritabilitate, Alia quæ erit die nona Martii differet de textura, & motu muſculorum, ac de tendinum inſenſibilitate. Ultima, quæ varias ob cauſas uſque ad Aprilis initium erit protrahenda, indicabit cordis motum, ſanguinis naturam, & effectus phlebotomiæ juxta ea, quæ ſapientiſſime profers in opuſculo ſuper hac re edito.

Tu interim; Vir clariſſime, cura, ut valeas, & conſueta in me utens humanitate fac ſæpius ea fruar lætitia, qua in implendis mandatis Tuis optatiſſimis affici ſoleo.

Dabam Romæ quarto nonas Martii 1758.

54.

CALDANUS.

PEr Morgagnum Ill. accepi humaniſſimas Tuas quo tempore Patavini commorabar. Dolet te nondum accepiſſe IV. Acad. noſtr. Tom.

Is apud Somiſium eſt, & miror valde qui fiat, quod liber, qui ſub finem menſis Junii anni proxime elapſi Taurinum conceſſit, nondum ad Te pervenerit. Adhuc expecto & ipſe ſpecimen phyſiologiæ Tuæ cum Zinniano opere aliiſque libellis, quos per humanitatem Tuam pollicitus es: Spero tamen quam primum omnia ad me eſſe perventura, ſicut & ipſe Somiſius monet. Sed ad Patavium redeamus.

Ego nondum in Patriam ingratam remigravi; remigrabo autem quam primum. Morgagnum Anatomen tradentem audivi. Anatomicam tradit hiſtoriam. Tradit vero ſatis in epitomen, cum unius horæ ſpatio, brevi viginti dierum curriculo, perfecta tradi nequeant hiſtorica. Sæpe de Te loquitur Vir præſtantiſſime. Ingenium ſummum laudat, laudat doctrinam ſummam, amicum illuſtrem vocat. Verum de nota lite ne verbum quidem fecit. Obſervata commemoravit, quæ tum pro tua, tum pro aliorum ſententia faciunt, ſed utris aſſentiendum potiori, ſit jure, certe non aſſeruit. Miratus vero valde ſum (quod minime palam faciendum eſt) aſſeruiſſe Morgagnum, aerem eſſe inter pulmones, & pleuram, fretus unico tantum experimento ſuo in alium finem olim inſtituto, & iis, quæ de La Mure propoſuit. Non ignorat ille certe, quæ Tu docuiſti, & quoniam, ut noſti, ego quoque Tua ipſa experimenta confirmavi, mihi fere propoſueram, niſi ætas, & nomen contrarium ſuaſiſſent, experimenta apud ipſum renovare. Proh nefas! Potius quam

quam veritati proprio ſtudere nomini! obſervationes non repetere, ne fortaſſis ea oculis uſurpentur, quæ errorem detegere poſſent! Vale Vir præſtantiſſime. Ama ut ſoles hominem Tui obſequentiſſimum.

Dabam Venetiis 18. Martii 1758.

55.

JOHANNES VIVENTIUS.

SErius fortaſſe, quam oportuit, epiſtolis Tuis, Vir Cl. reſpondi; quæ mihi extremam amoris Tui, atque humanitatis ſignificationem attulerant, cum Cl. nomine Tuo diſſertationem ornari non recuſares; morbus me a reſcribendo abſtinuit, quod ad Graſſetium datis litteris expoſui, ut per eum certior fieres me tuis accepiſſe: ac ſi nihil hominibus importunius, quam morbi, numquam fui minus morbo tentandus, quam cum Tibi eſſent gratiæ agendæ. Quum primum a morbo me recepi, nihil mihi fuit antiquius, quam ut phyſiologiam Tuam, quam ad me Gravierius Nolae dederat, diligentiſſime legerem, cujus lectio, ut ne plura dicam, una animum meum ſtatim a morbo potuit recreare; tantam ex immortali doctrina Tua cepi voluptatem. Quod ſcribis p. 117. inflammationem a ſtimulo, non ab obſtructione fieri, id ego proximo menſe ſum expertus, cum Nolae eſſem. Cum

enim ex proximis Vesuvii nostri eruptionibus graviſſime bitumina reſpirarent, quam varii bituminis reſpirationem, ſpirantes a meridie venti Nolam verſus deflecterent, diræ illic loci graſſatæ ſunt peripneumoniæ in vicinia præcipue: ab Oriente autem cum Venti ad Mare ſe convertiſſent, miteſcere ſtatim videbatur morbus. Ex non ſatis laudati operis Tui lectione intelligebam, aerem per fumum ſupra ſcriptæ exhatationis plenum, particuliſque armoniaci, nitri, neutriuſque ſalis affectum (uti nuper Joh. Maria Torre in pereximia diſſ. demonſtravit) & continuo inſpiratum internam palmonis membranam irritando morbum efficere; quod tuſſis convulſiva initio appareret: & ſi cita, & larga ſanguinis miſſione hujusmodi morbum tractaſſes, exaſperabatur tuſſis: ſi epiſpaſticis ad crura, & ſupra pectus impoſitis, citius necabat: ſi virginianæ polygale decoctione, oxymelite ſimplici. nihil infeſtius, pulſus enim initio magnus & mollis erat urinæque aqueæ; tertio vero die pulſus exilis, urinæque paucæ, etiam albæ; expectoratio nulla, clauſus omnino venter, quartum extremum diem claudebantur. Cum Tuam Phyſiologiam legiſſem, ſi tim ſuccurrit, ex ſtimulo hujuſmodi morbum effici, quamobrem ſtatim atque morbus invadebat, ſolis tenuis aquæ partibus utebar, tepidiſque ex malva, aluhea & ſupra pectus fotibus, eorumque fumum, ut ægri per infundibulum ore reciperent, præcipiebam, itaque morbus diei unius ſpatio cedebat; qui aliter tractatus ad quartum ab invaſione diem mortem afferebat.

Dissertationem meam, ne progrederetur, tenuit morbus: eam tamen duobus, tribus mensibus, ut spero, editam, ad Te mittam: multos habeo, quos ad te mittam libros; amabo Te, ut ubinam, quave ratione sim ad Te missurus indices, omnesque ad medicinam, atque historiam naturalem facientes, qui hic eduntur, ut ad Te deferantur curabo. Rogo Te, ut mittas diss. de nervorum in art. impet. & de ver. nervi intercost. orig. & (si quidem haberi possit) Meckelii quinti paris historiam (septimi in Actis Berol. ann. 1752. habeo) Plura essent ad Te scribenda de nostratis Polygalae in peripneumonia usu, sed de hoc alias; longius enim, quam par est, processit epistola. Vale Rei Medicæ augendat nate.

Dabam Neap. 4. Kal. April. CIↃIↃCCLVIII.

56.

ANTONIUS CAP DE VILA.

VIr eruditissime, mense Martii 1757. cura J. Ant Mallen Bibliopolæ ad te missi libros nostrates hac in schedula notatos, quos posterioribus litteris Tibi promisi, ipseque misit ad Massiliam. Quererer Vir Celeb. te tam alto silentio devolvi, quum libros nostrates, & Aragoniæ, & Valentiæ plantas teneras cum flore deceptas, nondum me certiorem feciſſes, an eos accepis-

ſes. Quod ſi fratres Cramer Bibliopolæ Genevenſes Tibi manuſcriptum doctiſſimi Segueri præbuerint, rogo Vir nobiliſſime, ut de iis certiorem mé facias, etenim familiaris meus Bibliopola Mallen quatuor epiſtolas ad me miſit, nullamque tui, noſtratiumque librorum notitiam habet, ſi fides ei danda. Anno vero $17\frac{54}{5}57$. ad Gaditanam civitatem perveniam audiendi cauſa methodum, qua utuntur Regii Profeſſores decem peritiſſimi Matheſeos Regiæ Acad. Marinorum nobilium cuſtodiarum, & Profeſſores decem Chirurgiæ Regii Collegii Divi Ferdinandi, deinde iter facere vellem Londinum, Lutetiam, Lugdunum Batavorum, in Hiſpaniam remigraturus per Bernam Helv. ad Te illuſtrem Virum videndum. Verum ob præliа mortemque mei potentiſſimi defenſoris inceptum iter omiſi, quod ægre fero. Habito in oppido Baetico Benamexi abhinc quatuor leucis boream verſus ab Anticaria, ut res a D. D. Franciſco Solano de Luque Regiæ Hiſpaniæ familiæ Medico apud noſtrates celeberrimo geſtas memoriæ prodant. Hoc in tempore finem impoſui diſſertationi de utilitaae Matheſeos in Medicina. Hac in æſtate ſcribam aliquas obſervationes Med. practicas, cum quibuſdam ſcholiis. Ad me ut cæpiſti litteras mitte ad Valentiam, ut ipſas Bibliopola Mallen ad me mittat ubi adfuero. Vale Vir illuſtr. & me diu ama. Beramexi in Baetica. $17\frac{8}{4}58$.

57.

JANUS PLANCUS.

POst dimidium elapſi menſis redditæ ſunt mihi per Morgagnum noſtrum litteræ Tuæ humaniſſimæ 6. idus Martias datæ, ex quibus cognovi Te ad ipſum pro me miſiſſe tres novos Tomos de Oſſium formatione, de Corde, ac de reſpiratione: quos nondum a Morgagno accepi. Ex iiſdem litteris Tuis cognoſco, Te mihi quam primum miſſurum quoque eſſe volumen novum experimentorum Tuorum de natura irritabili, & ſenſibili, pro quibus gratias maximas Tibi profiteor. Fabri collectio ſuper hac re imperfecta mihi etiam viſa eſt, quod in ea ipſe ediderit, non quæ Tu anno 1757. copioſe protuleras ſed quæ anno 1755. manca edideras; idque curavi, ut notaret Diarii Florentini auctor. A Morgagno accepi ante litteras Tuas librum illum Ughianum de Attractione Neutoniana, & Meckelii epiſtolam de vaſis lymphaticis, pro quibus ago Tibi gratias. Circa idus Februarii miſi ad Morgagnum faſciculum opuſculorum quorumdam pro Te, a quo Caldanus, qui Patavii tum morabatur, abſtulit, aſſerens ſe occaſiones promtiores habere hujuſmodi faſciculos ad Te mittendi; quare eidemmet Caldano alium faſciculum miſi Bononiam, ad Te mittendum: ſed Caldanus Bononiam adhuc non eſt reverſus, quare, ut opinor,

apud ipſum, & apud ſuos faſciculi mei immoti quieſcunt.

Curabo ut Orchides noſtrates colligantur, & per Battarram noſtrum deſignentur. Utinam Orchis illa Italica montana linguam referens reperiatur; pro ea tamen reperienda ſcripſi ad aliquos amicos de re botanica gnaros, & valde cupio, ut eam ad me mittant. Si me audis, Haller doctiſſime, parvi pende Taurinenſis hominis, Arrigonii, Vandellii, & aliorum pene ignotorum audaciam, ſcioli enim ſunt, & obſcuri homines, qui clarorum virorum inimicitiis inclareſcere tentant: melius ipſos confutabis, ſi omnino eos negligas, ut deſpecti jaceant. Datis Rimino pridie nonas Majas 1758.

58.

JOHANNES GESNERUS.

Heri adlatus eſt faſciculus librorum Tuorum præſtantiſſimorum, diſſertationes practicas & pulcherrimas obſervationes de oſſium cordis, oculi formatione, itemque commentarias Bonon. & Alionum mihi ſervavi, reliquos ad deſtinata ad Te loca mittam. Allionius proxime redibit cum reliquis a Te benevole communicatis libris & plantis. Ex novis vero Tuis operibus mihi plurimum fructum promitto, & gratias Tibi plurimas habeo. Sed quæſo pretium eorum meis adſcribe rationibus. Ad Meyerum miſi

miſi quæ inſcripta fuerunt Cl. Morgagno, & puto hac ſeptimana Bergomum mittentur. Ad Trewium abibit craſtina die faſc. quem ſumtibus liberum ad D. Ammannum mittam. Faſciculum ad D. Ludwig Mercatoribus noſtris tradam; eſt inter hos Thommannus, apud eum primum requiram. Non enim bene memini, qualem Thommannum in Tuis litteris velis.

Seligmannus Norimberga curavit Milleri Diction. T. III. Act. Acad. Nat. Cur. Germanica, Bibliothecæ Trewianæ Mſc. continuationem & varia à Roeſelio, Seligmanno & Blackwellio; hæc heri currui publico tradidi, addita a me eſt Albiniana Ductus Thoracici tabula levidenſe munuſculum. In auctores phyſiologiæ Belgicæ inquiram. Benivenius Lucca libros Bolzanum miſit, unde proxime ad me deferentur.

In quæſtionibus phyſiologico - hydraulicis vix inveni auctores, qui ex voto mihi ſatisfeciſſent. Jurinus & Michelottus, & Butini præ cæteris hoc argumentum pertractarunt; ad quæſtiones a Te propoſitas vix directe reſpondent. Primum problema ex natura impetus facile reſolvitur, ſi enim leviores particulæ inter graviores fluant impetus ab eadem vi incurrente communicatus, erit factum ex quantitate materiæ in quadratum celeritatis, hinc in corpore ſpecifice graviori poſitis, maſſis æqualibus, factum erit in ratione denſitatis majus, ergo majori vi juxta datam directionem movebitur, cedent itaque leviores utique gravioribus; ſi ergo fluidum juxta longitudinem canalis impel-

pellatur graviora juxta directionem axeos, reliqua ad latera oblique fecedent. Ad hæc accedit vis, qua leviora & qua minori impetu gaudent, ad latera facilius cohærent, quam graviora & majori impetu mota. Sed nemo Te melius hæt ad naturæ & mechanicæ regulas expedire valet.

Pergratum erit intelligere tempus, quo Te Badæ amplecti, & Tuo dulciſſimo alloquio frui & ſi benevole annuas Tigurum comitari liceat. Vale & me ut ſoles perge amare. Cariſſima Uxor plurimam ſalutem dicit, & Te perhumaniter invitat.

Tiguri d. 10. Maij 1758.

59.

PHILIPPUS CANESTRELLI.

QUum univerſa medica reſpublica multum Tibi debeat, Teque jure quidem merito exactiſſimum, doctiſſimumque in rebus anatomicis, phyſiologicis, atque practicis, Virum cognoſcat, ut ex operibus Tuis abunde patet (præſertim in irritabilitate. ac partium ſenſibilitate, auctorem primum proclament omnes optimi medici, ut revera, & nos de hac re admoniti, experimentis in hominibus, & brutis adhibitis, cognovimus) audacia quædam me impulit, ut has Tibi litteras mitterem, quarum

rum reſponſum humiliter exoro, quod eadem via illmi. & prudmi. Lucernæ pontificii nuntii mihi tranſmittas.

Scias enim importunis contradictionibus me vexatum fuiſſe in curatione unius ſupremi judicis hujus aulæ Dni. Dni. Caroli Pipini. Contradictiones a quodam juvene ſex abhinc annis auditore meo oriuntur. Hic, ut ſibi viam faciat ad ægrotos curandos, & ut ſuæ clinicæ directioni relinquantur, morborum, cauſarumque ideas, ac curationes cenſoria virgula vexat. Nonnullis ſalivam movet, ab aliis, ut patronis, ad ſidera extollitur. Omnia ſua aſſerta matheſi ſubſtinet, etſi ſuper falſa baſi ſuperſtructa ſint. Quæſtio ventilata conſtruitur ex his, ſcilicet an ægritudo prædicti judicis fuerit apoplexia, vel hemiplegia; an fonticulus uſum habeat; & an epicraticæ purgationes ac decoctiones ex lignis, præſertim guajaco competant. Ego, ut curans, apoplexiam levem fuiſſe pronunciavi, & ſi integre ſenſus omnes interni aboliti non fuerint, ille hemiplegiam tantum, quia punctus vel inclamatus æger, aculos, & labia aperiret. Ego fonticulum in nucha præſcripſi, & ille algebraico calculo probavit, nil ab hoc evacuari cerebrum, poſthabitis auctorum obſervationibus, negando anaſtomoſes inter externa internaque vaſa capitis, pro nihilo pendens anatomicorum, Winslowi, Tuique claram auctoritatem. Ego ſolutivas pillulas de ſuccino cum extracto catholico præſcripſi, ut epicratice ſolveretus alvus, ille ir-

ri-

ritabilitatis in paralyſi argumentum timens illas inhibuit, etſi clyſteribus acribus nullo modo exoneraretur venter. Ego decoctiones dictas exhibui, & ille vituperavit, ac amovere fecit: ut ſtimulantes, a ſanguine non attrahendas, & tantam ſanguinis miſſionum proſequutionem, uſque dum paralyſis evanuerit, & nitrum exhibendum propoſuit.

Hiſtoria hæc eſt; quinquageſimo anno conſtitutusprædictusDominusplethorico-terreo temperamento ditatus, hinc phlebotomiæ bisin anno aſſuetus, ſtatura, colloque brevis, veniſque frontalibus, ac temporalibus turgidis; natus & educatus calidiſſima in urbe *Lecce*, in Salentinis Apuliæ; huc Aquilam frigidiſſimam urbem Aprutii, translatus; etſi ſanguinis miſſionem non poſthaberet die 21. Novembris 1757. nihilominus die 26. ejuſdem menſis repente univerſali tremore correptus fuit, qui ad ſiniſtrum latus converſus, deinde ad crus, tandem in ejuſdem cruris tetano, & in paralyſin motus brachii finem habuit. Sanum apparuit caput ſemper toto hoc primo morbo. Evacuantia univerſalia, attenuantia, & febres in hiſce affectionibus inconſtantiam prodidere, nam modo tetanon in brachio, & paralyſin in crure & vice verſa; modoque dolores circa femur, & tibiam, atque pruritus inſurrexere. Ut fibrarum rigiditas mulceretur, balnea tepida uſu venere, quorum utilitas ſenſim ab ægro cognita fuit, nam a decima immerſione brachium perfectæ actioni redditum fuit. Quiete quorum-

dam

dam dierum a balneo, detracto iterum ſanguine & repurgata alvo in balneum iterum immerſus fuit, & ab octava immerſione motus & vis in crure aliquantulum inſurrexit: quievit iterum a balneo, quam frigus ad ultimum pervenerit gradum. Otioſam vitam ducebat in lecto modo, modoque in ſella, quamvis cibis nutritiis indulgeret, tamen epicratice aloeticis pillulis exonerabat alvum; ſitiebat, & aquis ſaturabatur, quæ incocta per urinæ organa eliminabantur.

Doloroſa duritie in muſculoſa femoris mole vexabatur; & auſtro ſpirante die 12. Februarii iterum in balneum deſcendit horis meridianis, declinante die animi paſſione perculſus tenſionem in colli muſculis, torporemque in brachio dextro perſenſit, quæ cito evanuere, totaque nocte incœnatus ſomno naturali indulſit. Subſequente die iterum immerſionem in balneo lætus ſubſtinuit, & in lecto calido poſitus, naturali ſomno correptus fuit; tranſacta hora, morbo de cujus nomine & curatione diſceptatur, aggreſſus fuit.

Inquietus, expergefactus balbutiebat cynico ore, reſolutum erat totum dextrum latus, quod vivido ſenſu pollebat. Pulſus erant tremuli, parvuli, duri & frequentiſſimi; vigilabat, & interrogabat, oculis ac labiis auditum habere demonſtrabat; verba tamen nullomodo pronuntiabat, ſiniſtram manum tremulo voluntario motu aliquantulum movebat. Detracta ſemiſſe ſanguinis atri & craſſi libra, pul-

ſus

ſus molles, alti, & placidi apparuere. Somno tamen, quamvis placido ſenſim correptus in eo perſiſtebat, & ſi a ſtimulis vellicationum, frictionum, vociferationum, & ſinapiſmorum oculos aperiret, & labia in motu eſſent, in ſomnum iterum labens, nitratas tamen aquas, ac cephalicas, quamvis non perfecte, deglutiebat. Acceſſit interim mitiſſima febris cum profundiori *Somno*, *Stertore*, & ſingultu. Sorbillatim exhibitæ fuere mannæ unciæ IV. & acri clyſtere exonerata abundanter fuit alvus. Augmentum nihilominus ſenſim ſumſit *ſomnus*, *ſtertor*, & ſingultus, pulſus iterum duri, & parvuli facti cum ſudoribus ſyncopticis, ſanguis ex pede miſſus fuit, & a ſemiſſe libra pulſus inæquales, & deficientes evaſere. Aucto tamen *ſomno* laxitate modo maxillæ inferioris, modo dentium ſtridore, & minorem cognitionem oſtendens clamantibus, veſicatorium in nucha appoſitam fuit. *Somno* vero tertia die ad lethargi naturam accedente, cum tuſſi fortius ſtertente, ac ſingultiente, ſuffocationem his minantibus ſyncoptice ſudavit, ac variis tincta coloribus facie, nauſeabundum, putridum odorem exhalante morti proximum vidi, acri nihilominus clyſtere evacuata alvo ac remittente aliquatenus *ſtertore*, cucurbitulas ſcarificatas appoſui, ex quibus libra detracta fuit ſanguinis. *Somnus*, cæteraque, ſymptomata imminuta apparuere, quæ omnia circa quintam diem evanuere; *Paralyſi* tantum linguæ, &. dextri lateris relicta. A prima ad hunc uſque diem victus tenuiſſimus exhibitus fuit, aquæ

nitratæ; & potiones refrigerantes ac corroborantes uſuvenere. Sexta die evanuit febris, exili ſuperſtite pulſu; vox erat ſubmiſſa, & verbum aliquod paucarum ſyllabarum ſummo labore, & aliquando pronunciabat. Tuſſis interim increbuit cum anacartharſi, hinc octava die febris rheumatica inſurrexit, quæ ad undecimum uſque protracta fuit. Octava die, me inſcio, & inurbane ab adverſario, cucurbitulis quinque extractæ fuere ſanguinis unciæ ex dorſo. Undecima die moleſti dolores undique in articulis paralyticæ partis inſurrexere, qui per menſem ægrum torſerunt, & frictiones mitiſſimas ſubſtinere non potuit. Decima quarta die, nova adveniente febre, pulſibus altis, ac plenis; ſanguis iterum ex pede ad libram ſemiſſem extractus fuit. Augmentum nihilominus febris & dolores aſſumpſere, & ſilente alvo, clyſteribuſque acribus inaudiente, ſolutivæ pillulæ de ſuccino Cratonis cum extracto catholico exhibitæ fuere, decoctioneque ex ignis ſuperius dictis præſcriptæ fuere; at mihi importunius omnia contradicens, pillulas, & decoctionem vituperans, eorum aſſumptionem inhibuit, & ſanguinem alternis diebus detrahendum, ac nitrum tantum cum ſimplici aqua præſcribi debere, Videns quod hæc parum, imo nihil proficerent, ad cauterium, ac attenuantes decoctiones, & ventrem ſtimulandum epicraticis ſaltem, mathematicum hoſtem conducere quæſivi: & ſi rationibus, atque experientia vinctum viderem, renuit. At quum æger geſticulationibus, ac quibuſdam ſemiver-

bis huic potius indulgeret, a tantis contradictionibus nauſeatus vale dixi.

Jam Medici hujus urbis, quam primarii Neapolitani & Romani de hac re admoniti in meam deſcendere ſententiam, tam circa morbi ideam, quam curationem, at impuber exaltatus medicus alumnus adverſus omnes tam auctores, quam viventes medicos, ut mechanicæ inſcios condemnat. Magni Boerhaavii, tui, & van Swieten auctoritates, & ſi uniſonas hac in re attulerim, quamvis magni vos faciat, ut judicio orbatum in eas intelligendas meſpernit, ex quo fanatiſmi gradus aſcendiſſe plerique judicant.

Ut reſpiceret, litteris expoſui ſententiam meam, rationibus, & auctoritatibus fulcitam, at cynicus ſatyrica diſſertatione, ut hallucinatum, ut in logicalibus, mathematicis, ac phyſicis inſcium exſibilat.

Die 26. Aprilis ab epilepticis inſultibus ter aggreſſus fuit probus Vir ægrotans, & quamvis cæteri etiam occurrerent medici, & cauterium, ac decoctiones proponerent, litigioſus ille renuit. Jacet jam paralyticus dextri lateris, & linguæ, etſi verbum aliquod aliquando proferat, & digitos manus, ac pedis aliquantulum moveat, ſenſim vero emaciatur pars paralytica.

Teque igitur humiliter exoro, ſummum in re medica Virum, ut Tuam mihi communices ſententiam, non ut hæc in æmuli dedecus cadat, ſed ut verum cognoſcam, & ſapientia Tua meæ mentis errores corrigantur. Vale Medici-

dicinæ ſydus, & Neſtoreos Tibi concedat annos in humani generis bonum. Altiſſimus.

Aquileæ die 10. Maij. 1758.

60.

J. F. SCHREIBER.

QUod ſit cauſæ cur ego a te tamdiu litteras adcepi nullas, nec Tu viciſſim a me aliquas; ipſe ignoro. Nihilominus Aſchium ſeniorem excitavi, ut præſentes ad Te deferri curaret. Quamdiu Bernæ degis, a Te, quantum recordor, ſaltim unicam recepi epiſtolam. Quum Te, Vir optume, per tot annos dilexerim; valde curioſus ſum noviſſe. quid Tecum egerit per illos mutui noſtri ſilentii annos divina providentia, atque cum Tuis. Chirurgus peritus noſtras, cui nomen Kaelchen, in Comitatu illuſtriſſimi comitis de Schuwalow Filii, Bernam adivit anno 1756. tuncque flagravit cupidine Te conveniendi. Verum quin voto ſuo potiretur, anceps tunc valetudo Tua obſtitit: audivit enim in domo Tua, Te acute laborare. Grates Deo, qui Te conſervavit in bonum Tibi proprium, atque tot aliorum. Hoc eſt unum & ultimum, & tum ſatis triſte, quod a Te audivi. Anno elapſo, Auguſta me declarari fecit conſiliarium aulicum. Primum Volumen Medicinæ, quam conſcribere in animum in-

duxi, & quod ad Physiologiam pertinet, prodiit Lipsiæ A. 1756. Forte id in manus pervenit. Lætabor, si non displicuerit: nam placere illud Tibi si putem, mihi adulabor. Scripseram Breitkopfio, ut exemplar ejus ad Te mitteret, meo nomine: sed jam bene novi, quod ad Te non miserit. Iratus in me est ille homo, cui Deus præcordia de durissimo luto finxisse videtur: nec solvit promissa: nec respondet: sic, ut de editione Voluminis IIdi, quod ad prælum paratum est, certi noverim nihil, Putavi, me in illo Volumine edito Almagesti Medici offendisse neminem, attamen nuper audivi, Abr. Kaan Boerhaave, (qui in eo nunc dicitur occupari, ut editionem manuscriptorum avunculi procuret) in me valdopere irasci, ac adversus me publice scripturum; cui iræ occasionem dedisse dicuntur hæc verba in præfatione: in magno *Boerhaavio connexionem veritatum Medicarum cum primis principiis desideravi.* Ille Vir doctissimus erga me per tot annos invidiosus fuit: quotiesque mihi amicus fuit, toties simulavit amicitiam, semper nixus auctoritate fratris, tunc juvenis. De illo edito meo libro legi recensionem, & judicium valde favens in novis litterariis Göttingensibus; Tibi vero doctissimo Viro illud an debeatur, ignoro. Interim calcar mihi addidit, adhuc meliore diligentia cœptum sequendi. Est enim valde laudabile, a laudatissimis Viris laudari. Haud adeo diu nobiliss. Sanchès Parisiis ad me litteras dedit, sed quovis novo litterario vacuas. Scribit, se medi-

medica aſpernari quævis: ſe ad fallenda ingrata tempora, non legere, niſi hiſtorica, & quæ ad elegantiores litteras pertinent. Denique gratiſſimum mihi erit, ſi aliquando ſignificaveris Te recte valere, atque mei memoriam, ut olim, adhuc retinuiſſe, meque a Te adhuc amari.

Petropoli $17\frac{2}{3}\frac{9}{5}$8.

61.

ACHILLES MIEG.

TArde reſpondeo, Vir perilluſtris ad Tuas litteras d. 8. Martii ad me datas, quia tempus & occaſio vix permiſit, ut citius ejuſmodi experimentum caperem, quale in illis mihi demandaſti. Maluiſſem equidem id jam in cane inſtituere, ſed quum talem, qui ad id idoneus eſſet, adquirere non poſſem, cuniculum denuo trepano ſubjeci, præſente rurſus & opem ferente Cel. Profeſſ. Stæhelino; meliora tamen ex hoc ultimo experimento haud didici, quam ex prioribus illis, quorum ſucceſſum jam perſcripſi. Enim vero difficultates eædem fuere, imprimis quoad cinnabaris penetrationem, licet hac vice, ut puncturæ diſtinctiores evaderent, loco ſcalpelli adhibuiſſem acutum ſtylum, qui mox retro mucronem craſſeſcit, exiſtimans, me hoc modo in cerebri diſſectione facilias

puncturæ decurſum & finem detecturum. Sed fefellit me iſta opinio, quum nihil ſatis diſtincti conſpici poſſet; atque adeo ſequentia, prioia mea experimenta ſatis quidem confirmantia, nonniſi ex comparatione ſitus partium cerebri cum ſtyli, quando infigebatur, directione didici: ablato nempe parvi modioli ope, uti in prioribus experimentis, circulo oſſeo in dextro ſincipite proxime ſuturam ſagittalem, atque diſciſſa dura meninge, primo bis in diſtantia duarum vel trium linerum a dicta ſutura ſtylum recta defiximus, uſque ad cranii baſin, unde in animali vix doloris alicujus ſignum animadvertimus. Et ambæ puncturæ videbantur per lateralem ventriculum tranſiiſſe, una nempe per corpus ſtriatum, altera per anteriorem partem thalami optici. Stylo vero paulum retrorſum & verſus oppoſitum cerebri latus directo, necdum valde profunde adacto, qua directione poſterior corporis calloſi pars læſa fuiſſe videbatur, lenes motus convulſivi excitabantur, mox rurſus ceſſantes; tandem eodem retrorſum ſimulque magis deorſum ſatis profunde demiſſo, qua punctura medulla oblongata, eo fere in loco ubi cerebelli pedunculi anteriores ei junguntur, tacta fuiſſe videbatur, qua in regione etiam cinnabaris aliquod veſtigium in diſſecto cerebro conſpiciebatur, convulſiones fortiores excitatæ fuere, ut tamen inde non penitus emoveretur innocens martyr; diſciſſa mox dextra carotide, poſt multum ſanguinem effuſum, vehementibus convulſionibus

nibus demum necatus. Cæterum quoad periostium & ducam matrem similia observavimus iis, quæ prius jam transcripsi.

Tractatus duo Viri perillustris de motu sanguinis &c. postea demum in manus meas venerunt, quam Weissianas & meas observationes de globulorum sanguineorum figura perscripsi, atque nuper eosdem cum Weissio communicavi. quod hic indicare visum est, quum verear, ne forsam existimes, me a quodam contradicendi amore incitatum dicta experimenta tuis aliquatenus contrariis expresse opponere voluisse. Ab eo autem tempore aliis rebus distractus, ejusmodi experimentis haud amplius incubui, & id solummodo a Weissio hactenus comperi, ipsum globulos, qui sanguineis minores essent; etiam microscopio suo vidisse.

Judicium, quod promittis; de graminibus meis pergratus accepero. Ipse mox etiam ad botanicas occupationes redibo, quibus jam fere per dimidium annum vix pauculos dies impendere potui. Initio hujus veris rursus in monte Crenzacensi reperimus Cyperoidem I. Enum. & quidem duobus locis diversis, nempe juxta latiorem viam (*Fahrweg*) quæ versus cornu ducit, & supra ipsum cornu proxime eum locum, qui copiosam pulsatillam alit, ut mirer, illud gramen in dictis locis non pridem fuisse detectum. Specimen ejus addam novo fasciculo, quem sensim rursus pro Te colligo. Heic vero mitto Caricis speciem, forsan novam; & affi-

nem quintæ in Enum. Helv. quam posteriorem jam pluribus in locis, & nuper demum juxta rivulum molendinarium extra portam Riehanam supra pontem *Schorenbruck* dictam, & in sylvulis ei rivulo adjacentibus satis copiosam legi. Prior illa species, quam huic epistolæ inclusi, utpote ejus volumen non aucturam, copiose nascitur supra vallum Petrinum, quo loco descenditur versus suburbium quod novum dicitur, ibique initio hujus mensis primum detecta fuit a perspicaci Botanico Dno de la Chenal, qui idem Petasitides nostras curiosius perlustrans observavit Petas. 3am Enum ad Wiesam & Birsam æque vulgarem crescere ac primam; & qui ipsam secundam speciem albo flore, a nemine alio, quod novi, circa Basilæam hactenus visam, hoc vere etiam reperit in umbroso loco montis alicujus inter villam Grut & Balneum Schauenburg. De his autem & aliis ipse aget in sua dissertatione inaugurali, quam ex miscellaneis observationibus botanicis componit, & futura æstate editurus est.

Duos tantum infantes hoc vere inoculavi, qui perpaucas & in facie quidem vix 12. pustulas habuere, egregie suos periodos percurrentes; sed in ambobus levem. morbum aliud incommodum secutum est, diversum in utroque: enimvero in uno eorum maturationis tempore sinistrum brachium, cujus vulnus ingenti pustularum copia obvallatum fuit, corripiebatur erysipelate, non quidem valde dolorifico, sed cum magno labore demum feliciter

citer reſoluto. In altero eodem morbi tempore ſub axilla dextra abſceſſus ortus eſt, minus quidem priore ſymptomate moleſtus, & ſatis cito ſanatus. Gratam rem faceres, ſi de numero inoculatorum apud vos & de operationis ſucceſſu nunc & ſubinde in priſtinum me certiorem redderes, ut ſemper ſciam, quæ in Helvetia circa hanc rem agantur, quum ſubinde falſos rumores apud nos de illo ſpargi animarvertam.

Lætus audivi, Virum perilluſtrem præfecturam acquiſiviſſe, de qua ex animo gratulor. Quodſi forſan ideo litterarum inſcriptio mutari debeat velim id mihi indices. Interim vale Tibique deditiſſimum porro, uti ſoles, Tua benevolentia complectere.

D. Baſileæ d. 19. Maij 1758.

62.

CALDANUS.

QUi fiat, ut litteris, quamvis ter quaterque repetitis, nullo modo Cl. Somiſius reſpondeat nequaquam ſcio. Illud tantum ſcio, Halere celeberrime, curaſſe me ut per eundem Somiſium tum quartum Academiæ noſtræ Tomum, qui a Junio menſe proxime elapſo apud eum eſt, tum librum Cl. Andreæ Paſtæ, & diſſertationem Cl. Joſephi Pujati, cujus epiſto-

lam Tibi inſcriptam modo habes; & tum denique involucrum illuſtriſſimi Planci Ariminenſis haberes. Forſan habuiſti, cum hæc omnia miſerim jam diu; ferme enim duo menſes excurrunt. ExoraviSomiſium, ut munus Tuum egregium cum Zinniano quacunque de ratione mitteret: exoravi autem fruſtra. Qua de re ægre fero egregia opera Tua nimis lente ad me pervenire. Sed cum iterum exorare conſtituerim, ſpero tandem aliquando eſſe perventura.

Illuſtres notæ Tuæ in methodum ſtudii medici Boerhaavianam carent indice. Doluerunt ſemper tyrones noſtri. Fecit hinc ſumma induſtria, atque diligentia typographi Veneti Remondini, ut Florentinus Medicus, ni fallor, indicem pararet. Paravit ille; ſed ita paravit, ut diremptus index in partes duas; una alphabetico ordine auctores citati numerantur, altera materiæ, de quibus agitur. Quærebat ex me typographus an id ſatis eſſet? repoſui, ſatis eſſe poſſe plurimis, non vero omnibus; cum tyrones ſcire etiam aveant an auctor, qui in indice citatur anatomica, medica, chirurgica, phyſica tractaverit, aut quæ. Neceſſe ergo eſſe, ſi recte judico, indicem dirimere in partes plures, quarum ſingulæ alphabetico ordine contineat auctores vel anatomicos, vel medicos, vel chirurgos, vel phyſicos an id ſatis erit, an vero ſuperfluum, ex Te ſcire aveo, Vir præſtantiſſime, Adhuc Venetiis ſum; ſtudia autem mea me citiſſime vocant ad patriam, præſertim ſi ex prælo ſtatim,

tim, ut ſpero, prodierit epiſtola mea contra Laghium, Taurinenſem Blancum, alioſque.

Utinam Germaniæ ardot finem habeat. Non ignorabis, qua de re hoc vehementer deſiderem. Vale Vir præſtantiſſime, amicorum Tuorum, & litteratum bono, neque, quod rogo, me amare ſinas.

Dabam Venetiis d. 19. Maij 1758.

63.

CALDANUS.

DUm adhuc Venetiis ſum, diſceſſurus tamen quam certiſſime ſub finem hujus menſis, neſcio quo fato contigerit, ut phyſiologiæ Tuæ ſpecimen & duos (tertius enim deeſt. & Zinnianum opus) commentariorum Tuorum libellos, Vir præſtantiſſime, quæ omnia ab initio uſque Aprilis menſis amicus Somiſius, ut fatetur, ad me miſit, nondum ad me pervenerint. Pervenienr tamen aliquando. Eadem fuit ſors litterarum, quas tamen ſolas nunc tantum accipio, unde factum eſt ut, hodie tantum Palliano epiſtolam Tuam mittam, & Tibi reſpondeam.

Utinam quidem prodiiſſet epiſtola mea ſecunda, non quod auctoritatem & pondus præclariſſimis inventis Tuis addere poſſit, ſed quod acerbitatem, quam jare ac merito mira-

tus

tus es, prudenter ut potui contemperet. De Taurinenſi Lottero nihil dicam in ea epiſtola, tum quod plerique ſatis eum agnoſcunt, tum quod annis abhinc duobus, cum Bononiæ eſſet, familiariter mecum agere conſtitueret, quamvis incaſſum, cum extra urbem eſſem. Eſt tamen locus in ea epiſtola, qui, ni fallor, de Lottero implicite loquitur. Spectat is ad experimentum, quod primus tentavit Molinellus; de titillatione nempe In ea duræ meningis lamina, quæ piam reſpicit, qua fit ut animalia ſenſus indicia præbeant, non ea tamen, neque ſemper, quæ Lotterus aſſerit. Hæc ipſa experimenta ea fortaſſe ſunt, in quibus abſolvendis verſaris.

De reſpiratione res tam clara eſt, ut ſuperfluum ſit experimentis Tuis majus robur adjungere, quinimmo impoſſibile: noſtis, Vir celeberrime! ea me repetiiſſe, remque totam expoſuiſſe in prima epiſtola. De hac lite ſileo omnino in ſecunda; neque enim Morgagno vim inferre volo. Dum enim ex cathedra aſſerat, perſæpe accidere, in vulneribus pectoris, quod illæſus ſit pulmo, quamvis vulnus ſit penetrans, nimis facile foret ab ipſo poſtulare, num aer, an ferrum citius in vacuum irrumpant. Si aer, ut eſt certiſſimum, facile, ut vides, corruit argumentum. Accedit, quod Pujattus, Morgagni amicus, & meus, cum Bononiæ eſſet, me exoraverit ut reſpirationis experimenta oſtenderem, commotus nimis rationibus & unico experimento Morgagni. Feci experi-

perimenta, cumque videret rem totam ad mentem Tuam ceſſiſſe, magis exoravit, ne ipſum in teſtimonium vocarem, ne cum Morgagno litem haberet.

De lite Hunteri facile Tibi erit ea proponere, quæ juſtiſſima ſunt, quæ ſatis evincunt, Te primum diſſeruiſſe de natura inſenſibili tendinum, & duræ matris. Miror autem valde, humanitatem, urbanitatemque Tuam, qua pro Huntero ipſo uſus es. De Albino nil dicere audeo. Jure an injuria admittat nervos tendinum Tu ipſe videris. Nonnulli ejus diſcipuli Hiſpani tribus abhinc annis me certum fecerunt, Albinum demonſtraſſe ipſis apertiſſime circulares iridis fibras muſculares. Si ergo potuit id, quod nemo anatomicorum ſatis certo potuit. poterit & nervos tendinis invenire. Meckelium illuſtrem exorare conſtitui in hanc rem, quoniam vidi ſummam ejus peritiam in aliis nervis deſcribendis.

Graſſetto epiſtolam dedi Tuo clariſſimo nomini inſcriptam. Adjunxi alteram Pujatti, qui opus ſuum de victu febricitantium Tibi dono dat. Hoc opus cum altero illuſtriſſimæ Paſtæ apud Somiſium eſt. Tu interim vale longe etiam a patria, adeoque magis a me ipſo; qui ſincere & ex animo pro incolumitate Tua facio vota. Veritatis amor nos conjunxit, quo fit ut ex Te id ſperem, quod ab amicis aliis nunquam ſperare poſſum. Utinam Germaniæ ardor tandem extinguatur. Operæ Tuæ confido me vel medicinam apud principem aliquem facturum

turum esse, vel artem viribus meis parem traditurum. Iterum Vale, Tuique amantissimum Vir celeberr. diligas quæso.

Dab. Venetiis die 17. Junii 1758.

64.

J. MATHIAS GESNERUS.

ILlustri Hallero nostro novam provinciam ex animo gratulor, licet ea omnem nobis spem ipsius aliquando recuperandi abstulerir. Sed amicitiæ est, ut consulere amico, non sibi; ita gratulari rebus ipsius secundis, si quid etiam illæ ingratum sibi habeant; vel adducant. Quæ Vir illustris leviter designat in litteris, ea & mihi videntur balneorum rudera, aut reliquiæ potius: in quibus balneis Romani extra Italiam quoque moliebantur non hypocausta modo, pavimenta quædam pilis aut columellis imposita, inter quas repens vel ignis, vel vapor certe, pavimentum vel tegulas quadratas impositas columellis, calefaceret: sed per muros etiam laterum canales structi, vel formaces accipiebant vaporem, quo calefierent balnea. Non dubito, quin lucem allatura fuit illis Helveticis balneis, ab illustrissimo Hallero detectis, observata Illustrissimis Schœpflini, & picturæ reliquiarum Buxovillæ, Biponti, Lichtenbergæ, quæ habentur Alsaciæ illustratæ T. I. p. 539.

§39. sq. Spero futurum, dum perreptat ὁ πάνυ noſter montes & valles ſuarum voluptatum vel publicæ etiam rei cauſa, ut etiam obiter, Tulli inſtar ſepulchrum Archimedis aperientis, detegat, quibus vel Tigurinos amicos, vel Göttingenſes etiam ſuos & juvare poſſit & exercere. Faveat Viro Deus, & Peireſcium ac Pinellum, quem admodum ſtudio ac propoſitione animi magnifica, ſic opibus etiam & felicitate illum præſtet. Ita optat ex animi ſui ſententia & ita ut ſibi ſuiſque contingere bona cupit.

65.

CAR. ALLIONIUS.

ORchidis Italicæ folia glabra vix ſtriata; labia interiora cuculli utrinque dentata. Labium inferius antequam in triangularem productionem abeat palleſcit & pilis obſitum in medio eſt. Staminum locula inferius dirimuntur quodam diſſepimento albo cartilaginoſo, ex receptaculo ſeu machinula orto, Hoc diſſepimentum abit in duo cornicula inſtar lunæ creſcentis, & infra alterum inferius eorum altera adeſt parvula productio, quæ ingreditur cupulam quamdam purpuream: huic cupulæ inſident ſtamina in ſuo initio coalita. Cupula hæc decidit vel reflexa facit, ut ſtamina cum apicibus decidant in patens ovarium. Antheræ ex minimis denſe poſitis annu-

annulis interdum veluti in duas partes reſectæ, & cinereo - obſcuræ.

Turin ce 12. Août 1758.

66.

MORGAGNUS.

VIx tandem quæ tanto antea ad me perliberaliter miſeras, illuſtris Hallere, ad meas pervenerunt manus. Moræ cauſa præcipua illa fuit, quod omnia tranſmittenda fuerunt Clavenna Mediolanum, & rurſus Mediolano Clavennam. Mediolani autem dum ſingula ſollicite perſcrutarentur, ne ſorte aliquis liber ineſſet, qui religioni adverſaretur, non diuturnam ſolum moram, ſed & ſigillorum omnium diſcuptionem ægerrime tuli, & de duobus qui intus erant, faſciculis alterius inſcriptionem dilaceratam, qui ad Plancum, opinor attinebat; nam alterius ſalva erat ad Pujatum inſcriptio. Ad illum igitur per bibliopolam Paſquali ſeum, ut cenſui, ſtatim mittendum curavi; Pujato autem ſuum tradidi, qui a me, ut ſuis verbis Tibi officioſiſſime ſalutem dicerem, ſimul petiit, ſimulque ut gratias agerem, & litteras nuper Tuas ſe accepiſſe, ſignificarem. At præter faſciculos iſtos duos, exemplum ſupereſt ſingulorum trium commentariorum, & ſcripti Cignæ. Hoc, & illa cuidem, aut mittam, niſi

Tu

Tu indices, neſcio. Pro horum autem exemplo, & pro tribus ultimis voluminibus Tuarum practicarum diſputationum, quæ omnia mihi deſtinaſti, non minores humanitati Tuæ gratias ago, quam grata mihi fuerunt; fuerunt autem cuncta, ſed tria commentaria præſertim, quam gratiſſima. Quo magis me pudet nihil nanciſci potuiſſe dignum quod ad Te mitterem, ſed parvos tamtummodo, & paucos libellos quoſdam, nullam habituros gratiam, niſi novitatis. Utinam ex antiquis ſaltem ſi qui Tibi forte deſunt, ſcirem; ſumma certe diligentia perquirendos curarem. Nihil enim magis cupio, quam Tibi inſervire, ſiqua in re poſſim, dum vivam. Valeo autem, & ſpiſſum hoc opus urgeo. Tu quoque da operam, Vir illuſtriſſime ut egregie, & diutiſſime valeas. qui communia ſtudia tantopere auges, & magis magiſque, Tuam perſequendo elaboratiſſimam, utiliſſimamque phyſiologiam, es aucturus.

D. Patavii penultimo Auguſti die 1758.

67.

CAR. PH. GESNER.

EQuidem glorior nomine Tui diſcipuli. Utinam Tu me cenſeas illo dignum, qui per duodecim annos, quibus me tenuit Polonia, ſoli fere clinicæ operam dedi, ab Academicis ſtudiis remon-

remotiſſimus. Quatuor demum anni ſunt, quod ſereniſſimo Poloniarum Regi addictus, plura relegi, quæ illius mei exilii tempore in lucem prodierunt. Inveni in illis maxime memorabile Tuum, Vir illuſtris, de ſenſu & irritabilitate partium corporis humani aſſertum: vidi illud a pluribus, Italis inprimis, impugnatum eſſe. Ea res me attentum reddidit, & non prætermitterem ullam occaſionum, quæ frequenter in numero hominum de quorum valetudine munus me meum ſcire jubebat, ſunt oblatæ, quin ipſe verum deprehendere conarer. Silentio prætereo alia, quæ quidem omnia, pro Tua, Vir illuſtris, ſententia faciunt. Unicum allego, cum peculiare aliquid habere viſum ſit. Agaſoni tribus abhinc annis, equi indomiti ferrata calx, os frontis confregerat. Ut fragmenta poſſent eximi neceſſe fuerat, terebra bis perforare vicina. Nuda dura mater, tunc irritata varie, nihil indicii ſenſus aut contractionis exhibuit. Potuit autem hoc ſtupori a gravi commotione cerebri inducto, non improbabili ratione tribui. Intra octo aut novem hebdomadas cute obductum vulnus eſt, per quam pulchre ſentiebantur ſynchronæ arteriis pulſationes; ut opus fuerit munire cicatricem lamina ænea, quæ oſſis vices ſuppleret, ceterum ſanus homo, ad antiquam equorum curam rediit; quin nobiſcum iter ſeptuaginta & amplius milliarium ante hos duos annos, tempeſtate horrida, ſine magno incommodo perfecit. Nondum ſunt quatuor menſes exacti, cum

cum dolor, tumor, inflammatio frontis, quatuor dierum intervallo in suppurationem versa, jussit cicatricem post liminio incidere, & tribus minimum unciis collecti puris viam patefacere. Vidi nunc secundum, nudos periosteo; candidos, ossis frontis fines, terebræ impressiones adhuc exhibentes, nudam duram matrem; nudam arteriolam, quæ pulsatione rupturam minabatur. Tetigi sæpius stylo nudum os; detigi duram matrem; tetigi arteriam. Jussi apponi vulneri penitiori succini & Myrrhæ liquamen satis spirituosum, sine ullo ægri, ceterum optime valentis, & sibi plane præsentis sensu, sine ullo irritationis qualiscunque indicio. Metuebam autem, ne pars ossis emortua ulceris hujus causa fuerit, multo demum tempore separanda. Eo lætior inveni, extrema ossis quæ nuda fuerant periosteo tegi, & industriam chirurgi vulnus fallere, quod lintei carpti molliſſimas & medicatas turundas extruderet. Ita intra quatuor hebdomadas cutis postliminio conferruminata est, & quamvis dum hæc scribo iterum aliquantum recruduerit cicatrix, tamen pene persanata jam est. Scio me noctuam Athenas ferre. Accipe tamen, Vir illustris, exiguum meæ gratitudinis erga Præceptorem documentum, & habe persuasum me non interrupto studio semper fore.

Dabam Varsav. d. 11. Decembr. 1758.

68.

JOH. GOTTFR. ZINN.

NOmen illius Botanici, qui Rudbeckiæ adfinem a me pictam Craſſinæ nomine in genus conſtituit, in litteris legere non poſſum. Quis eſt Craſſius ille, cujus nomine inſignita eſt? Pœnitet nunc, me non ipſum, uti animo conſtitueram, hujus plantæ genus conſtituiſſe, tui nomen Munchhuſiæ deſtinaveram, tum ob alterius merita in omnem rem litterariam, & hortum noſtrum, tum ob alterius, nempe Ottonis de M. ſummam in re herbaria ſcientiam, ut inter principes Botanicos referri poſſit. Semper autem expectavi, ut liber ille de generibus plantarum, quem ſuis impenſis ſe editurum eſſe, pacto litteris conſcripto Luzac ſpopondit, prodiret. Sed homo ille verſipellis, poſtquam ultra annum allaboravi, ut reſponſianem extorquerem, nunc pactum rumpit, hoc ſub prætextu, turbas belli obſtare, quominus libri editionem ſuſcipere poſſit, ſecurus, litem ſibi inferri non poſſe. Characteres tamen multos variarum plantarum hujus libri cauſa pingendos curavi, omneſque poſſideo, Luzaci quidem ſumptibus factos, ut laboris fruſtra ſuſcepti fructu non plane caream. Utinam editor vir honeſtus, mihi obtingat; ut librum, cui plurimum jam inſudavi edere poſſim. Characteres plantarum ſunt nonniſi novi

aut

aut emendati, nec pauci plantarum rariorum. Sic v. gr. inter illos eſt character plantæ Meliſſæ ſimilis, quæ in omnibus floribus, quotquot aperui, ſemper binos habet ſtylos, ad primam originem diviſos, nullibi cohærentes, interdum tamen tales tres & quatuor, unico ex hac claſſe exemplo. Præter haſce characterum figuras, icones characteris ſpecierum Salviæ, quotquot videre potui, ad 26. uſque, aliarumque plantarum rariorum penes me ſunt, v. gr. Pteleæ illius humillimæ, cujus quidem plantam, ſed non florem vidiſſe videtur Dillenius Hort. Elth. p. 148. cujus autem præter Dillenium nullus mentionem fecit. Ante menſem paravi iconem viſcerum fetus unciæ longitudine. Præter pulcherrimam placentæ fabricam imprimis memoria digna videtur, veſicula oblonga inter amnion & chorion ſita, quæ educit filum, qui inter tunicas illas progreſſum funiculum adit umbilicalem, & in illo in duo fila tenuiora diviſum in abdomen venit, & duplici filo, cuinam parte? meſenterio ſe inſerit. Fila ſunt ſatis robuſta, ut, vario licet modo tractata non ruperint. Inſertio dicta certiſſima eſt. Quid ſit tale filum, ne divinare quidem auſim. Albinus in Annot: Acad. ſimilem pinxit veſicalam & filum inde oriundum, ſed ad finem hoc non perduxit, ne fetum deſtrueret. (A. omphalo meſenterica). Si noſſem, ſcripta ad Academiam Bononienſem miſſa nonnimis diu inedita jacere, mitterem illuc ſymbolam quandam.

Avide videre cupio commentarios Tuos de ſanguine & incubato pullo. Annon importunus videbor, ſi a Te petam, ut utrumque libellum ad me mittat.

Vale meque ut ſoles ama.

69.

PAULUS VALCARENGHIUS.

EX quo medicinam addiſcere, proprioque marte penes ægrotos exercere, nec non ex cathedra docere a pluribus annis cœpi, artis ipſius difficultatem maximam ob oculos habui ſemper. In eo itaque totus fui, ut ex obſervationibus meis aliquod ad hoc preſidii quærerem, quo minus in errores proclivis eſſem. Aſt mea maxime intereſſe cognovi, quod aliorum opiniones plurimi faciens, clariorum auctorum ſcripta perſæpe evolverem, & conſulerem ſedulo. Verum tamen quæ aliis, quotquot abs Te, ſano revera criterio, conſcriptæ, & vulgatæ uſque in hanc diem ſunt elucubrationes, in iis quotieſcunque omnem mentis aciem intendi, id non voluiſſe tantum, verum etiam utile maxime mihi, diſcipuliſque meis eſſe deprehendi. Ex illis enim (præterquam quod aliorum ſententias, eaſque congruo a Te ratiocinio perpenſas, repetere mihi facile fuit) ea, quæ Tua penitus ſunt, ſolidiſſima artis noſtræ

dogmata plurima obtinui, quibus, ceu firmo inhærens fulcro, non edocere modo, sed & facere tutius medicinam, pro instituto meo, possem. Illudque etiam atque etiam optavi, ut litterarium aliquando Tecum inire commercium mihi concessum esset. Idque per litteras abs Te petiissem pluries, nisi hoc Tibi molestum nimis evadere posse putassem. Verebar enim, ne Te unquam a gravioribus illis removerem studiis, quibus de litteraria universa republica bene mereri, & communi saluti prospicere mirum in modum quotidie satagis. Nunc vero cum mihi evenerit occasio, commentaria in tractatum Ebn. Beitaris de malis limoniis vulgandi; eorum exemplar ad Te mittere decrevi, ut aliquod mei erga Te obsequii testimonium exhiberem. Tenue, fateor, donum hoc est, sed non omnino a Te spernendum, præcipue si animum meum Tu attendens, illud æqui bonique facere, ac ita novum ipsi decus addere minime renuas; quod porro, pro summa humanitate Tua, præstiturum Te confido.

Vale, Vir præclarissime! ut pro communi bono diutissime vivas incolumis, meque Tibi addictissimum futurum semper pro certo habe.

Dabam Mediolani IV. Kal. Januarii MDCCLIX.

70.

JO. MATTHIAS GESNERUS.

QUidni enim hoc nomine compellem Virum, qui ut fæpe alias, ita nuper inſigni quadam ratione, ſe favere honori meo, oſtenderit, nomine meo in illis ponendo, qui ſuam quiſque claſſem ducere videantur, in quibus gloriari patria merito ſuo poſſit.

Aliorum in me meoſque meritorum Tuorum admonet me epiſtola filii mei, quam ille apertam ad me miſit, qui probe noverit, ſe per mihi gratum facere, ſi quacunque oblata occaſione gratum ſe memoremque Præceptori magno gloriandi argumento, & ſi fieri poſſit, cum aliqua ipſius jucunditate præſtet.

Novi, ſi novi filium meum, per ipſi jucundum fore, ſi quid ſit, in quo Tuis ſtudiis commodare queat, aut aliquid facere denique ex quo gratum animum in Virum adeo præclare de genere humano merentem ac de ſe meritum demonſtrare queat.

Eandem mihi mentem eſſe, cum conſcientiam teſtem habeam, velim incidere tempus, in quo ſalvis tuis rebus oſtendere poſſim, quanti intereſſe virtutis & litterarum omnium putem, Te Vir ſumme, & quam diutiſſime rebus humanis intereſſe, & omnibus rei bene gerendæ, agendique quod libenter agis, præſidio inſtructiſſimum.

Deus

Deus Tibi hunc annum novæ longæque felicitatis epocham, e qua procedat fauſtum aureumque ſeculum, eſſe jubeat.

Prid. Kal. Jan. MDCCLIX.

71.

ACHILLES MIEG.

DIuturnæ meæ in ſcribendo moræ omnino me pudet, quando conſidero, Te non ſolum eum non male interpretari, ſed in ſuper donum, quod præ aliis gratum mihi eſſe ſcis, pulcherrimarum nempe ſtirpium faſciculum, adeo benigne offerre. Hunc ante paucos hoſce dies Dn. Imhoff, bibliopola, mihi tradidit, quem à Te venire facile perſpexi, licet nullas in eo litteras reperirem. Itaque Viro illuſtri gratias pro eo maximas interea ago, donec tales aliquando referre poſſim. Mittam nempe, quam primum id fieri poteſt, plantarum Baſileenſium novum faſciculum, qualem jam diu promiſi; hactenus vero tantum ex plantis meis ſeligere ob varia negotia nondum potui, quæ tempus Botanices ſtudio alias a me deſtinatum pene omne coegerunt Atque hæc ipſa fuit cauſa, ob quam litteras meas tam diu diſtuli, cum ſcribere prius nolem, quam promiſſo ſimul ſtare poſſem. Addam illi faſciculo recenſionis plantarum Baſileenſium ſupplementum, in quo annotatiun-

culas quaſdam, ſed imprimis varia rariorum plantarum nova loca reperies, partim a me, partim a Dno De la Chenal detecta, qui per-crebros excurſus facit, & ipſum beatum Stæhelinum induſtria facile æquat, plantarumque adeo Baſileenſium numerum bene multis, iiſque non vulgaribus ſtirpibus auxit. Diſputationis, quam de quibuſdam earum conſcripſit, editionem adverſa valetudo hactenus impedivit; quam primum autem prodierit cum faſciculo meo eam mittam.

Novum etiam eumque diligentem ſtirpium Helveticarum indagatorem eſſe video Dominum Chatelain Med. Cand. nunc in patria urbe *Neuveville* degentem, poſtquam per aliquot annos apud nos, & priori etiam æſtate Monſpelii, medicinæ diſcendæ gratia commoratus eſſet. Iſte nuper cum aliis plantis Allii quandam ſpeciem in vineis circa patriam urbem lectam, miſit, raram certe vel forte novam, cujus ideo deſcriptionem (ex planta ſicca factam) hic adjungo. Bulbus ei ſimplex eſt, ovalis, ex baſi fibroſa caulis bipedalis, ſubſolidus, ultra medium folioſus. Vaginæ foliorum glabræ, ſtriatæ. Folia ad $\frac{3}{4}$ partes pedis longa, plano-carinata, non fiſtuloſa, lineam lata. Vagina ſub floribus bicornis, cornubus inæqualibus, uno unciali, altero vero ttiunciali, utroque ex lata, ſtriata & purpuraſcente baſi in tenuem apicem ſenſim coarctato. Umbella florum laxa, abſque bulbis, pedunculis ſubpurpureis, quorum maximi unciales ſunt, lateralibus pendu-

lis.

lis. Flores amœne purpurei ; duas lineas longi. Petala elliptica, basi leviter cohærentia . omnia linea media saturatiori picta , apice obtusiusculo & integro. Stamina simplicia , petalis longiora , filamentis setaceis , basi vix latescentibus , petalorum basi adnatis. Tuba petalis fere duplo longior. Ovarium obtusum, dissiliens in tres valvas latiusculas, emarginatas , & ipsas linea media divisas; semina nigra. Valde simile est , Allio 25. in Lib. de Allio §. XXXVI. Opusc. bot. p. 386. T. I. Sed diversum tamen videtur foliis planis, petalis non emarginatis neque retusis , staminibus nec latis nec inter se connatis.

Gramen illud *Hiltelingense* , quod aliquando cum prolixa descriptione misi , est omnino *Oryza glumis carina hispidis Gronovii* vel *Phalaris Oryzoides Linn.* spec. p. 55. n. 5. uti litteræ Gronovii (cui Gramen dictum misi) & ipsum specimen Virginicum a laudato auctore mihi transmissum , me docuerunt. An huc forsan pertinet *Gramen paniculatum latifol. Bartel.* Jc. 1307. & *angustifolium* ejusd. Jc. 1308. Sed malæ sunt figuræ siquidem hoc gsamen intelligitur.

Panici characterem , qualem in specimine meo Anat. & Botan. atque in catalogo transmisso descripsi , reperi eundem in *milio semine luteo & albo C. B.* seu Panico n. 16. *Linn.* spec. 58. Sed in *Panico Italico Linn.* spec. p. 56. n. 4. & *Germanico s. paniculo minore* C. B. interior vel membranacea folliculi , quem ste-

rilem

rilem duxi, gluma desideratur, adeoque horum character convenit cum Tuo & Linnæano.

Anno priori infantes rursus quinque inoculavi; & licet hæc methodus sat tardos apud nos progressus faciat, varii tamen ad illam proximo vere subeundam dispositi videntur; neque dubito, quin aliquando plures fautores sit nactura, si epidemia, quadam cives nostros minetur, qualem ab eo tempore, quo insitio hic introducta fuit, nullam habuimus; ex quo ipso argumentum de metuendo ex variolis insititiis contagio evertitur, nuper a Cel de Haen denuo prolato, cui ante duos hosce menses prolixam ad quæstiones propositas responsionem transmisi.

D. Basileæ d. 23. Januar. 1759.

72.

JOH. GOTTFR. ZINN.

PAuca hæc litteris Hambergerianis adjungere volui, cum interim litteras Tuas avidissime expectem.

Per duos jam fere menses miseram vitam traxi, febricula lenta ex hypochondriis egregie vexatus, quæ sub initio hujus anni accedente febre rheumatica, cum saniissimus jam viderer, summa cum prostratione virium & appetitus lecto me affixit. Nunc tamen ex auxi-

lio

lio divino iterum ita convalui, ut caro & calor ſenſim redeant, vires in dies confirmentur, & alia munia ſine majori incommodo facere poſſim. Febricula quidem nondum plane evanuit, ſed in dies imminui videtur. Huic incommodo accedit tuſſis verſus veſperem accedens, qua ad duos jam annos ſub loquendo multum turbor. Gaudeo, omnia ſigna in eo conſentire, pulmones adhucdum eſſe integros & ſanos. Debeo hanc febriculam vitæ per hyemen nimis ſedentariæ, & ex parte forte mœrori. Æquo enim animo ferre non poſſum, me videri aliis inutile pondus, & hominem vix ſalario & beneficio, parciſſimo licet, dignum, meque talem videri, quod cuidam Hanoveram tranſeunti viſum fuerit, de meritis meis detrahere. Vale, meque, ut ſoles, ama.

Göttingæ d. 28. Jan. 1759.

NB. Paulo poſt obiit Vir optimus.

73.

JANUS PLANCUS.

PErgratum mihi eſt ex Te audire, ſub prelo eſſe commentarios Tuos & amicorum de partibus ſentientibus & irritabilibus, qui una in tres Tomos diſtincti prodibunt, poſtquam libellum Fontanæ acceperis. Caldanao noſtro epiſtolam meam latinam contra Vandellium ſcripſi, quæ Tuis partibus in fine favet, quem eodem

eodem fermone latino editam velim in fine diſſertationis Caldanii, ut Tu fortaſſe ex ipſomet Caldanio noſti, cujus epiſtolæ exemplar miſi quoque Ughio noſtro. Valde aveo accipere tres iſtos Tomos per Morgagnum noſtrum, præſertim ſi iis adjiciatur epiſtola mea anti Vandelliana, & d bo operam, ut in diario Florentino recenſeantur.

Ægre tuli Te a Podagra laboraſſe, ex qua languebat phyſiologia Tua, quæ ſane valetudinem integram deſiderat, & Tibi gratulor ex Podagra convaluiſſe, ut inde Tomus ſecundus ſub prelo ſit.

Morgagnus noſter hoc tempore intentus erit lectionibus exercitationibuſque ſuis anatomicis. De ſpe illa edendi, quam fecerat, diſtinctas ſectiones corporum morboſorum, ignotum penitus id mihi erat, ut hoc tamen mihi confirmavit modo Caldanius noſter a me interrogatus, dixitque jam ab ineunte anno elapſo Morgagnum in eo eſſe, ut editionem hanc ſectionum corporum morboſorum paret. Ego vero neſcius de hac Morgagni intentione miſeram Venetias ad Calogeram octo vel decem ſectiones corporum morboſorum, quas anno elapſo hic celebravi, ut in opuſcula ſua referret, & ſimul eſſent, quaſi diſſertatio quædam, ſeu appendix ad diſſertationes conjecturantium adjicienda. Unam aut alteram ex iſtis ſectionibus, quæ a me celebratæ fuerant, circa finem anni elapſi, & circa initia præſentis miſi Ughio noſtro, ut eas ſi vult, in diarium rerum Italicarum,

carum, & Helveticarum referat, ita modo ad ipſum eodem pacto mitto epiſtolam meam latinam contra variolarum inſitionem.

Vale. Datis Arimino a. d. XIII. Kal. Martias anno O. R. CIↃIↃCCLIX.

74.

CALDANUS.

NUnc ad perluſtranda teſtudinum interiora tempus impendo. Earum pulmo ſatis oſtendit veſicularum Malpighii ſtructuram. Inflatus pulmo & exſiccatus oſtendit veſiculas quadrangulas, quarum parietes celluloſa componuntur; ſed in uno quoque pariete foramen eſt, quod communicat cum proximis veſiculis.

Dixi hoc ſatis oſtendere veſicularem pulmonum ſtracturam; nunc vero ex Te peto, an hoc ſatis oſtendat, & ſi recte ab his animalibus concludere poſſumus ad hominem.

Vale interim Vir celeberrime. Vive felix ut exopto. Litteras Tuas expecto, quod ſi frequens contigerit ero felix ut auſpicatis. Vale.

Bonon. die 13. Martii 1759.

75.

75.

JANUS PLANCUS,

ACcepi a litteris Tuis III. nonas Martias datis, quæ VII. Kal. April. ad me pervenerunt, Te ab Agnellis fasciculum meum expectare, ad Ughium mittent, qua de re gaudeo; signum enim est, fasciculum illum non periisse.

Audio epistolam meam ad Caldanium in linguam Gallicam fuisse conversam, ut idem, ut ais, sit totius operis color. Si me amas, cura ut aliquot exemplaria latino sermone edantur ipsius epistolæ seorsim, & ad me deferantur. Ego enim respondere soleo meis obtrectationibus eadem lingua, qua me obtrectarunt, dummodo sit latina, vel Italica, reliquas linguas insuper habeo, præter Græcam, sed nemo invidus græce scribit.

Gaudeo meis opusculis magno beneficio Ughium adfeciſſe, ut modo satis feliciter vivat apud nobilem & egregium Virum Bernardum Tscharnerium.

Milleri Angli labores ad rem herbariam ornandam, qui prodeunt pulcherrime, ut ais, mihi prorsus ignoti sunt.

Nil mirum si Gallia satis sterilis plerumque sit. In magno Imperio litteræ plerumque silent, quæ in liberis civitatibus, & parvis dynastiis florent. Romanum imperium, & Græcia antiqua,

qua, de hac re præclarum nobis ſuppeditant argumentum.

Datis Arimino pridie Kal. April. anno U. R. CIↃIↃCCLIX.

76.

FELICE FONTANA.

NOllem igitur ſi fieri poſſet (idque a Te, Vir ornatiſſime, poſtulo ex corde) epiſtolam meam reſecari, ſed integram prodire exoptarem, dummodo Tu manum Tuam ad illam admoveas, & a mendis omnibus, quæ & magna erunt, & plurima benigne, & perhumaniter expurges, in hoc enim Te ſummum arbitrum conſtituo, meque felicem & perbeatum exiſtimo, cui tantus magiſter contigerit. Corrige itaque: ſtrue, deſtrue, dirue, ædifica ad arbitrium, quod a Te ſumma efflagitatione exopto ſed integrum (niſi alii Tibi videatur) in publicam lucem exire ſine. Habeo in adverſariis plurima alia neſcio an dicam inventa, novas certe obſervationes, de pupilla, iridecto oculo, &c. Hallerianum magis magiſque illuſtrant ſyſtema, & niſi fallor in nova luce conſtituunt. Hæc omnia judicio Tuo acutiſſimo ſubjiciam, & ſi tempus ſuppetit, ad Te propediem mittam, ut Te iiſdem, quid Tibi libitum fuerit, diſponas. Interim dum Piſis moror, vellem me occa-

occaſionem aliquam accipere poſſe, qua tibi devinctiſſimum animum meum & obſequium patefacere valerem. Proxima æſtate Florentiam reviſam ſi arriſerit Deus; ubique parites, ſi qua in re Tibi, Vir humaniſſime, famulatum meum oſtendere potero, meaque opera mihi ad Tua negotia curanda, uti volueris, habebis me paratiſſimum ad omnia ſtrenuoque animo quidlibet ſuſcipiam & aggrediar, quid mihi e Te imperatum fuerit, quin immò gloriabor quam maxime tali viro cujus nomen jam per omnes Europæ partes tubis magniloquis concelebratur, poſſe me animo obſequentiſſimo parere. Vale, Vis ſtrenuiſſime, & ad litterarum rempublicam ſemper novis inventis ditandam, artem medicam in ſummo faſtigio collocandam, & phyſiologiam e tenebris erutam in publica luce conſtituendam ſalutem Tuam cura diligenter. Iterum vale.

Quando ella mi credeſſe degno d'una qualche ſua ripoſta, che avrei per cariſſima, potra inchiuderla in una ſua indirizzata al Sign. Dr. Manetti di Firenze mio grand'amico, del quale ricevrà codeſta mia. Se mai gli experimenti, che ſi leggon nella mia lettera in ſuo l. del moto del cuore delle teſtuggini, e delle anguille, a Lei non piaceſſero, potra farne quell uſo, che le piu deſidera, e levarle ancora, che ſon contentiſſimo. Le feci del 57. in Maggio nella Citta di Bologna, avec allora mi ritrovava, alla preſenza del Ch. Sign. Dr. Verrati, e d'altri Profeſſori. Non ſono molte volte, che il Sign.

Dr.

Dr. Caldani le ha replicate parimente in Bologna, e ebbeno un esito simile alle mie. Per quelle poi riguarda all'iride, e alla pupilla, ho ritrovato con esperimenti diretti; e che non lasciano che replicare, che la pupilla non si ristringe da quella luce, la quale immediatamente percute e inverte l'iride, ma bensì da quella, che atraversando la pupilla e gli umori dell'occhio arriva al sensorio della vista. Il che dimostra la niuna irritabilità fatta dell iride, e la debolezza della objezione ne fatta dal Dr. Laghi contra il sistema della fibra irritabile, la quale si legge nella sua seconda lettera stampata in Bologna. Ho parimente veduto, che la pupilla si ritrova ristretissima nel sonno si negli uomini, come degli animali; da questa osservazione ho creduto di poter inferire, che lo stato naturale della pupilla sia la constrizione, e lo stato violento sia la dilatazione. Molte altre experienze mi hanno fatto veder, che l'animale ha una forza, che può in moltissime circostanze ristringere, e dilatare la pupilla; che può dilatarla a maggiore copia di luce, e ristringerla a minor copia: cosa che ben dimostra un dominio della volontà in sui moti del iride, e della pupilla. Spiego delle cose fin qui dette in tutta facilita li ristringimenti della pupilla senza chia amar in socorro le fibre circulari dell'iride immaginate dagli anatomici, re negate a ragione da V. S. Illustm. Rendo ancora ragione di piu fenomeni dell'occhio, i quali non si son potuti spiegare colle teorie, che si han-

hanno lasciato far a qui gli anatomici, come farebbe, onde avenga che l'impressione della luce fatta in su la retina, arriva a far contrarre la pupilla, quando l'iride non communica con filamento alcuno della retina: così spiego, perchè i moti delle pupille in un animale sian sincroni, e si corrispondino appuntino, e come la luce, la qualè cade in su d'un occhio solo, possa far ristringere la pupilla dell altero occhio, è in cui luce alcuna non cada: benchè le due retine non abbiano fra di loro communicazione. Il solo Winslowio si è inpegnato per quelle io sappia di spiegare la convessità dell iride nell'animale, la quale si mantiene ancora ne maggiori ristringimenti della pupilla. Questi fenomeni, che mi determinono alle nuove osservazioni, eche s'oppone dirittamente al stato naturale della pupilla creduto fine a qui, non e che una semplice consequenza del mio qual che sistema, e ritrovato. Il Sign. Winslowio in una memoria recitata all' Academia di Parigi nel 1721. ne ha dato una ragione assolutamente falsa, e che viene smentita da tutta l'anatomia. A capi principali de objezioni, che mi posse esser fatta, che son, la pupilla dilatata nella morte degli animali e degli uomini, la pupilla dilatata nella amaurose, ne glaucomi, e nelle offese del nervo ottico, e finalmente li ristringimenti della pupilla da una maggior copia di luce. Quanta difficultà, ehe una volta mi sembravano insolubile, e difficilissime, mi sembrano di niune forza, e ne le svento con tutta facilità, cosme

ſme Ella potra giudicare da Mſ., che ordino di pedirlei quanto prima. Arò carò di ſentire il ſu parere in ſu di tutto, e d'intenderne il ſuo oraculo. Perdoni ſe ſenza avedermi ho cominciato in latin, e ho finito in Italiano; ma a V. S. Illma. e piu che famigliare ancora la lingua Italiana, unde mi avra facilmente per eſcuſato.

Piſa 2. April. 1759.

77.

NEGRINUS.

Puer ſextum ætatis agens circiter annum temperamento ſanguineo-bilioſo præditus, optime conſtitutus, ſemper bene valens, menſe Auguſto 1757. dum ruri cum parentibus commorabatur, in parte laterali mandibulæ inferioris ad dentium radices, nulla manifeſta cauſa magnitudinis avellanæ tumor apparuit.

Omnia illa fere remedia, quæ ex fonte chirurgico hauriri poſſunt, a parentibus amantiſſimis conſulentibus viris doctiſſimis, adhibita fuerunt, ſed fruſtra, imo magis, ac magis ad diem hanc adauctus eſt tumor, ut ad magnitudinem medietatis aurantii comparari poſſit.

Puerum hunc ſub finem menſis Novembris inviſi, tumorem ſedulo examinando, latum in radice, mandibulæ adhærentem, &, ita dicam, ſubſtantiæ oſſeæ inveni, nullis doloribus concomitatum, nullo mutato cutis colore.

Tres curationes ſunt, quæ a doctiſſimis chirurgiæ Profeſſoribus ad tantum morbum eradicandum propoſitæ fuerunt, alia ex ferro, alia ex cauſtico, alia tumorem excitando.

Has litteras ſapientioribus in facultate chirurgica mandamus, ut ſi qua, & dulciori methodo hunc puerum mihi amantiſſimum a tanto morbo ſanitati priſtinæ reſtituendum nobis proponant: & faxit Deus bonorum omnium largitor, ut puero optimo ſuis parentibus caro ſolatium ſalutemque ſint allaturi.

78.

ANTONIUS CAP DE VILA.
P. JOHANNI WEMDLINGEN.

EGo vero, tabellario dedi $17\frac{28}{11}52$. Cl. Joannes litteras; matheſeoſque theſes, ob magnam meam erga te benevolentiam, hæc igni mandaſti. Cum a MDLIX. legerem tuorum Math. elementa, tanta fui lætitia affectus, ut avide expectaſſem, te fore Germano-Hiſpanorum decus, & ornamentum; ſed Germanorum votis haud ſatis facere, veſtratum multi ad me ſcripſere; pro magno meo erga Hiſpanorum gentem officio & amore, quæſo ergo Amp. Pater (quamquam ſuffuſus rubore) ut diſcas fœcundiſſimum Hiſpanorum idioma. Quo in ſtudio animo molior, & lectites Eruditiſſ. P. Veſtratum Matheſeos Cl. Chriſtiani Wolfii elementa, & Joann. Chriſtophori Heilbronner Math. Hiſtoria-

ſtoriolam, præterea legas noſtratum Math. ſcripta, convertes in ſubſtantiam & ſanguinem (mi crede) & non te pœnitebit laboris, atque noſtratibus, & advenis ſatis facies. Haud tantam eſſe Hiſpanorum barbariem, ut Germano-Hiſpano, Galli, Itali, Gérmani, Angli, Scoti, Sueci, Dani, &c. cogitent, certo ſcio. Correctionibus his, ut in nova tuorum elementorum editione utaris, ad te mitto, ob magnum meum erga litteratorum rempublicam ſtudium, & humanitatem. Si aliquid ſtudiis licet tuis idoneum, poſſum præſtare jube quæſo Vir illuſtriſſime Vale & ut me ames rogo. 20. April. MDCCLIX.

79.

DANIEL WILH. TRILLERUS.

MEdios inter horriſoni belli tumultus circumſtrepentes, periculaque imminentia atrociſſima, hæc raptim quaſi ad Te potius effundo; quam cum cura & diligentia, ſcribo. Quare ignoſces, ſpero, pro ſumma tua erga me humanitate, hiſce litteris meis, omni quidem lepore ac venuſtate, pro temporum nempe calamitate, deſtitutis; Malas enim malui ad Te dare, quam prorſus nullas, ne diutius, ac jam, me quidem invitiſſimo, factum. deeſſe viderer officio ac pietati meæ, quæ erga Te, ut dudum noſti, merito ſumma eſt, & nullis

limitibus circumſcripta. Quis enim quæſo, haud colat ac veneretur Hallerum, per omnem cultiorem orbem longe celeberrimum? Licet igitur ob cauſas, nec Tibi, nec univerſo mundo, incognitas, omnis prope modum facultas ac voluptas ſcribendi nobis hactenus fuerit erepta; nondum tamen, crede mihi, hoc fido meo candidoque pectore excidit Halleri mei, Fautoris & amici religioſe colendi, memoria, nec excidet unquam, dum ſpiritus hos reget artus. Ne vero vacuæ prorſus & ſine aliquo munuſculo, quantumvis leviſſimo; & vix oculis Tuis tam perſpicacibus, digno, ad Te irent hæ ipſæ litteræ incomte & temere effuſæ; en! pace quidem, ut ſpero, Tua, illis adjeci binas diſſertationes academ. nec arte nec facundia, nec alio ullo pretio, commendabiles. Prior enim de Cortice Peruv. ſub rectorata meo, tum quidem moleſtiſſimo & laborioſiſſimo, inter mille impedimenta & avocamenta ingratiſſima, per intervalla quaſi, ſubito conſcripta, immo rectius, præcipitata fuit: altera vero, licet paulo majore cura ac ſtudio elaborata ſit, parum tamen etiam habet, quo ſeſe commendet, niſi forſan ſolam argumenti hactenus neglecti & intractati, novitatem & utilitatem: quare, ſi non inſignem laudem, forſan tamen faciliorem veniam, coram Te, ceu æquiſſimo & humaniſſimo judice, uti interea ſpero, merebitur. Quod equidem vehementer opto; ſi enim Tibi potiſſimum mediocria mea ſcripta haud penitus diſplicuerint; tum ſane illa ab omnibus eruditis,

ditis, ſat ſcio, probabuntur: tantum enim ubique valet judicium Tuum, rectum, juſtum, & ab omni partium ſtudio alienum. Verum iſta omnia ſplendido Tuo arbitrio unice relinquo. Jam autem vale Vir illuſtriſſime atque otio corporis animique tranquillitate in beata veſtra republica, quam diutiſſime fruere, mihique, qui per iniqua eheu! fata, his bonis ſummis & nullo unquam pretio ſatis æſtimandis maximo animi ſaucii dolore, jam ægerrime careo, cum univerſa noſtra patria afflictiſſima, meliorem fortunam ex animo apprecare! ſcribebam mœſtus, inter mala præſentia, & utinam! vanos, majorum futurorum metus. Wittebergæ die 27. Septembris CIↃIↃCCLIX.

80.

CALDANUS.

RAnæ certe veſiculas habent pulmonales, ut mones: verum non ita elegantes ut in teſtudinibus, quas ſecui. In homine certe ſunt æquales ubique; ſed peto an poſſint eæ diſtingui revera a cellulari. Mihi ſi licet, aliquid conjectari argumentem inſtituere ab animalibus ad hominem, abſonum non videtur.

Anatomicus Gallus Flurant in demonſtratione de Hepate docet hepar ſectum in tæniolas & maceratum punctula nigra oculis objicere, &

cava, adeoque ea esse folliculos Malpighianos. Maceravi diu hepar dissectum. Microscopio solari aliisque vitris acutissimis objeci; punctulahæc non vidi: vidi tamen vasa, & cellulositatem quandam spongiosam flavescentem, quas cellulas pro folliculis habere non possum. Interim pericula alia instituam, quoniamFerreniusGallus quid detexit inter vasa sanguifera, & ductum excretorium. Iterum rogo pro exemplaribus Fontanæ, & pro meis, tum pro dissertationibus expetitis. Tertius Tomus collectionis Bononiensis hoc ipso die in lucem venit. Male agunt adversarii. Tum mitto ad Somisium, ut Tibi curet, adeoque necdum legi. Curabo autem mihi exemplar alterum, ut Mutinensi autori, nempe Cajetano Rossi statim respondeam. Responsionem cito habebis per Somisium, quam si placet edere liberum erit, dummodo digna Tibi videatur. Statim ac de anatome publice disputavero, operam dabo, ut alterum opusculum componam: cui titulus erit: *Logica irritata:* in hoc opusculo juxta Præcepta logica Te Virum clarissimum & Tuos obsequentissimos sectatores a falso suppositis contradictionibus immunes reddam. Vale physicorum decus & me, ut soles, ama. Bonon. d. 28. Maij 1759.

81.

81.

W. DE LA CHENAL.

Quod, uti ex ultimis Tuis litteris edoceor, Curatori Academiæ Gœtting. & Cl. Werlhofio me commendaveris, benevolentiæ erga me Tuæ novum eſt indicium atque tale, ut maximas gratiarum actiones mereatur.

Utcunque hoc negotium finietur, maximo mihi ſemper honori ducam ternario additum fuiſſe, proque hoc humanitatis tuæ eximio ſpecimine nunquam non tibi ero devinctiſſimus.

Circa Alyſſon Allionii ſequentia adhuc notanda habes: in ultimis Tuis litteris, Vir Illuſtriſſime! illud Siſymbrio paluſtri potius adfine dicis, qui Raphanus aquaticus foliis rectilineis imprimis diverſus. An Siſymbrium 4^tum^. Enum. Helv. intelligis an 3^tium^? Totus nunc ſum in examinandis Siſymbriis 1. 2. 3. & 4^tae^. Tuæ Enum. ut affinitatem, quam noſtrum Alyſſum cum iis habet, eo accuratius determinare poſſim. Omnino nunc perſuaſum habeo, plantam noſtram a dictis Siſymbrii ſpeciebus genere ſeparari non poſſe. Cum, uti jam alibi memini, illa paſſim in pratis circa Baſileam ſit frequentiſſima, inde conjeci, veteribus botanicis, qui ſtirpes Baſileenſes collegerunt, illam non potuiſſe eſſe prorſus ignotam. Idcirco hortum ſiccum Hagenbachianum evolvi, plantamque hanc haud abſque gaudio reperi, cum ſchedula, cui ſequentia inſcripta erant:

erant: *Hanc Erucam foliis ſuperioribus tenuiſſimis, ni fallor, in Turania collegi ad ſepes; Dominus Spœrlinus etiam Pariſiis miſit.* In Collectione Stirpium Dn. Prof. J. R. Zwingeri etiam aderat: ſed abſque nomine. Supereſt ut Herbarium Bauhinianum evolvam. Non poſſum non in tranſitu hic notare, quod Siſymbrium 3um. Tuæ Enum. a 1°. & 2°. diverſiſſimum mihi videatur, cum petala valde exigua habeat, calyceque minora, quæ illis majora calycem multum excedentia ſunt.

Hiſtoriæ Alyſſi noſtri, quam Actor. Helv. Tom. IV^to^. inſeram, iconen addam pulchre & fideliter delineatam, cum icon Allionii haud valde arrideat.

Amiciſſ. Chatelain deſiderio Tuo jam ſatisfeciſſe ſpero.

Reperi nuper in M. Crenzach cornu loco umbroſo Orchidem militarem majorem C. B. ſed exigua copia.

Accuratiorem Salicis ſtaminibus bifidis characterem alia vice communicabo.

Catalogum brevem rariorum ſtirpium Montbelgardenſium litteris noſtris addere haud injucundum Tibi fore credimus. Specimina ſiccaharum plantarum, quas frequentes inſtituti excurſus ſuppeditarunt. & adhuc inſtituendi ſuppeditabunt, propediem Tibi tranſmittemus, quibus alteram partem addam, catalogi plantar. rarior. Baſil. cujus jam unam miſi.

Vale Vir illuſtriſſime & favere perge.

Dabam Montbelgardi d. 15. Junii 1759.

Plantæ

Plantæ in agro Montbelgardenſi ineunte anno 1759. repertæ.

1. Orchis barbata fætida. In M. la Chaux & ſur les ruines de la Citadelle.

2. Veronica procumbens Riv. Paſſim in ſylvis umbroſis humidis cum Anagall. lut. nemor. copioſe.

3. Lunaria græca ſiliquis oblongis. In montoſo & umbroſo loco haud longe a pago Vandoncourt.

4. Oſmunda foliis lunatis Tourn. Dans les prés des bois pres du dit endroit.

5. Orchis palmata batrachites C. B. ibidem cum Monorchide.

6. Theſium. Ibidem copioſe & paſſim alibi.

7. Petaſites minor C. B. flore albo. In umbroſo ſylvoſo & humido loco, au bas des fonds dicto, prope dictum pagum copioſe cum Chryſoſplenio foliis alternis, Balſamina lutea, Lingue cervina, Filice aculeata majori, Chriſtophoriana &c. &c.

8. Aſperula cærulea arvenſis C. B. In agris verſus dictum pagum paſſim copioſe, & paſſim alibi in agris.

9. Bunium Linn. copioſe inter ſegetes verſus Bechamp; circa Scloncourt rarius.

10. Cardamine impatiens Linn. près la forge d'Audincourt ſur un tas de craſſe unicum ſpecimen reperi.

11. Alyſſum &c. Allionii. Juxta oram ſylvulæ Charmontanæ aliquot ſpecimina.

12. Peplis Linn. in pratis udis inter hanc ſylvulam & Broynard.

13. Pſeudoſtachys alpina C. B. au parc, & paſſim alibi in ſylvoſis montoſis.

14. Ribes vulgare acidum. Au dit parc & dans le Bois de St. Thomas.

15. Spina ſolſtitialis ſ. calcitrapa. Ad Viam prope urbem.

16. Ornithogalum auguſtifol. majus floribus ex albo vireſcentibus C. B. Paſſim in collibus ſylvoſis lociſque montoſis magna copia.

17. Cynoſorchis militaris montana, ſpica rubente conglomerata. B. paſſim circa pagum Vandoncoutt, & ſur le Champ de St. Michel propre Urbem, cum Orchidibus muſcam & fucum referentibus.

18. Equiſetum caule ſubnudo lævi. Linn. ſpec. in pratis paludoſis inter Charmontium & la grange la Vare copioſe.

ANT. A CAP DE VILA.

Æſtimatiſſimi mei Præceptoris Mariani Seguieri fatum, familiaris meus Bibliopola J. A. Mallen mihi ſignificavit $17\frac{17}{2}59$. Poſtquam eſt morte raptus celſi animi Vir probus, ſobrius, eruditiſſimus, med. hujus ævi apud noſtrates nulli ſecundus, utriuſque Hiſpaniæ ſapientiſſimus, nullus Valentinorum, Hiſpanorumque Tarraconen-

conenſium fuit, quin lacrymaretur, nec ſicci ſunt oculi mei; amiſſo præceptore cariſſimo, non ob mutuam tantum benevolentiam ſed ſuum erga me amorem. Hæc ſcripſi $17^{23}_{5}59$. ad ill. eruditiſſ. Gregorium Mayanenſem noſtratum decus, & ornamentum

Pergratum mihi feceris erud. Vir, ſi ad me, quæ a meo æſtimatiſſimo Magiſtro & D. Mariano Seguerio res geſtas ad memoriæ prodendas requiruntur, quod Tibi facile erît, notitias Tabellaria dederis. Illuſtris M. Seguerius, ut ex litteris ad Doctiſſimum Hallerum miſſis, quarum exemplum Tibi mitto, conſtat, in Hiſpanorum Medicorum notitiis colligendis plurimum elaboravit, & Fratribus Cramer & Philibert Bibliop. Genevenſibus, ab ipſo dono miſſis, ut in ſupplemento ad Mangeti Bibliothecam ſcriptorum med. lucem viderunt, ſcito quæſo penes quem eſt apographum, quia eſſet Clariſſ. Hallero facillimum typis eum mandare, eoque ſummo cum noſtratum honore uti ad emendandam ſtudii Med. Methodum Mag, Il. Bœrhaave emaculatam, & acceſſioribus locupletatam ab Illuſtriſſimo A. Hallero, in qua triginta A. A. mille notitiæ continentur, hujusque methodi Alphabeticum indicem elaboravi, lucemque eum darem, ſi noſtrates totis viribus hunc ſtudium incumberent, Cl. G. Mayanenſis $17^{3}_{6}59$. reſcripſit.

May Sr. mio. me allegrare deque Umd. Naga ſu perigrinacion, que no dejarà de ver en ella algu-

algunas inſcripciones. Aviendo eſcrito a Valencia ſobre los Manuſcritos de mio Amigo, i Maeſtro de Um. el Dre. Seguer, me han reſpondido, que parar el poder dela viuda ſu muger, i aſſi miſmo la libreria, la qual he inſtado yo, a que ſe anime a comprarla el Sr. Arzobiſcopo, porque quiere hacer una libreria, publica, i afimui juſto que en ella aya alcunos libros de Medicina, de los quales carecian las dos librerias, que ha aquerido una del D. Cabrera, que era la' mas eſcogida de Valencia, i atra del Pat. Albinnana, que era buena. El 20. de Marzo de 1757. me eſcrivio el Dr. Seguer, que David Clemente, reſidente en Hannover, de quien yo le envie una Carta, le pedia los notitios delos Medicos Eſpagnoles, que avia embiado à Ginebra. Deſpyy en Carta de 28. de Decmbr. de 1758. me eſcrivio aſſi el Sr. David Clemente. Bolvio a eſcrivirme ſobre mis eſcritos Medicorum Hiſpanorum, que no puedo lograr. Yo le ſatisfice diciendo; que Cramer, à qui en hable en eſta ciudad el dia de S. Jaime empeſaria a imprimir, por todo eſto anno que viene, el quinto tomo dela gran Bibliotheca de Manget y primero del *Supplemento*. Yo no he ſabido mas. Umd. me crea, que deſpuy dela muerte de Dr. Seguer yo no ay en Valencia quien cuide de eſte genere de literatura; porque el ha ſido el unico que la ha preferado a mis inſtancias, i ſi huviara tenide una tintura de buenas Letras, ſu

fama

fama huviera reſonado mucho. Hara mucha falta en Valencia, donde ahora ai gran contenda ſobre ſucederle en la Cathedra. Eſtima la noticia que Umd. me da dela nueva mencion, que ha viſto del librito det Dr. Gaſola, que ya ſe ha hecho raro en Valencia. Veo con guſto que Umd. ſe eſcrita en la lingua latina, y que de cada ſe va enſonnoreando de-ſa pareza. Ds. de a Umd. mucha ſalud, i felices adelantamientos, i me le guarde m. a. como deceo. Oliva a 30. de Junio de 1759.

Correctiones & acceſſiones litterarum, quas ad Te miſi $17\frac{7}{2}59$. p. Genevam, Roche. Dn. Jorje Juan traducidos, en el Anno 1752. Dn. Franc. Solano de Luque, nacio en la ciudad de Montilla en 1685. acabo el eſtudio de Gramatica en 1701. La Philoſophia Peripatetica en el Colegio de PP. dela Compa. de Jeſus de la miſma ciudad en 1704. Se gradus de Bachiller de Med. en la ciudad de Granada en 1707. Somo la practica dos annos con el Dr. Jph. Pablo N. dela miſma ciudad. En 1709. le examineron los Med. del Rl. Protomedicato de Madrid. En 1712. ſe caſo con Da. Joſepha Navaros, y Vilorio, natural dela Villa de Mute. tuvo 15. hyos 8. varones, y 7. hembras, Murio $17^{3}\frac{1}{3}38$. Dn. Pedro de Luque hyo de Dn. Franciſco Med. actual de la ciudad de Antequera, quien me dejo ver las obras impreſas que ſon raras en Eſpanna,

y

y los manuſcritos, que eſtan en ſu poder, recion muerto Dn. Franciſco. Los Med. dela Corte le quieſeron mercar los Manuſcritos, a bueno precio, y no los quiſo vender la viuda ſu muger, eſto, y lo que le eſcrivi a V. S. es, ut Solano de Luque operum notitiam addas p. 684. Methodi Studii Med. de pulſu intermittenti ante criſios diarrhœam ſignificantî. Duas obſervationes a me factas habeo, una Valentiæ Bouamexi Turditanorum de dicroto, & inciduo, præterea nihil obſervavi, nec meis in ægrotis vidi. His in litteris a Tepetii Diploma honorarium Regiæ Academiæ Gœttingenſis, ejuſquæ leges; ſi mihi hoc beneficium tribuis, in ejus gratiam ſcribam tractatum de bonarum artium præſenti ſtatu apud Hiſpanos, ad hoc elaborandum, percurri fere omnes univerſitates noſtratum regias, militares Academias, Studia, & Collegia. Omnia bonarum artium opera, quæ apud noſtrates parcis. committentur, dono mittam. Avide expecto Opera, quæ mihi curas. Cordubam $17\frac{26}{8}59$. iter faciam ad Medicinam faciendam Per Bibliop. J. A. Mallen litteras ad me mittas, & ad me, ipſe ubî adfuero, finem impoſui $17\frac{5}{7}59$. Correctiones delos elementos Mathematicos del P. Juan Wendlingen de la Compania de Jeſus, coſmographo major del R. y ſupremo Conſeio de Indias, y Maeſtro di Mathematicos en el collegio Imperial de Madrid. Has correctiones in æternum grati, devotique

animi

animi monumentum Tibi dicavi, & prelio committentur $17\frac{8}{9}59$. Vale Cl. Vir, me ut ſoles diu ama.

Bonamexi Turdetanorum $17\frac{8}{9}59$.

83.

JOHANNES GESNERUS.

EQuidem, ut ſcribis, magnus eſt inter thermometra diſſenſus, ſi autores conſentientia ſe conſtruxiſſe aſſerant. Pendent hæc 1. quod non omnia eadem accuratione conſtruantur, dum adhibentur fluida diverſa gradu rareſcentia, nec ad mercurii in barometro altitudinem, nec ad æquabilitatem tubi ſemper attendatur: 2. quod male ſcalæ partium æqualium ex Thermometris mercurialibus ad ſpirituoſa, & viciſſim a ſpirituoſis ad mercurialia transferantur. Vitri inflatores nimia feſtinatione ſuos terminos pro aqua glaciali & pro ebulliente aſſumere ſolent; plerique etiam aliorum non ſemper optime conſtructorum novorum ſuas ſcalas aſſignant. Ii etiam, qui Nolletiana thermometra viderunt, ea non admodum laudant. Equidem puto, neminem majori & ſcrupuloſa magis ſollicitudine ſua Thermometra conſtruxiſſe, & cum aliorum obſervationibus comparaſſe, quam Michelium. Quotquot non habui a Farenheidio vel Prinzio conſtructa thermometra mercurialia, ea optime

inter se consentiebant. Ad ea itaque si Micheliana referantur, puto certiorem mensuram obtineri, quam in Reaumurianis. Respondent vero thermometri Fahrenheitiani gradus cum Micheliano in hunc modum in terminis caloris aut frigoris definitis.

	Farenh.	Michel.
Frigus c. sal. amon. & nive	0	25¼ infra Temp.
Initium congelationis	32	11 ———

NB. Michelium aquam intra glaciem pro termino primo frigoris assumere

cui respondet in Fahr.	33	10¼ vel 10⅖
Temperies	54	0
Calor Sanguinis	96	22 supra Temp.
Calor aquæ ebull.	204	100 Hos gradus

ipse observavi accuratissime consentire.

Mitto scalam a Michelio mihi communicatem, in qua Fahrenheitii thermometrum cum mercuriali & spirituoso, quorum scala continet 100 partes æquales a temperie ad calorem aquæ ebulientis: Et 10¼ a temperie ad terminum aquæ glacialis,

Cæterum generales formulas pro comparatione thermometrorum mercurialium & spirituosorum elicere licebit ex tabula & observ. quæ extant dans le Recueil de M. Micheli p. 39. vel in actis Helveticis. Sunt enim differentiæ secundæ inter quosvis 10 gradus 32 minutorum. Si ergo assumantur gradus æquales thermometri spirituosi ut partes abscissæ x, & y applicatæ respondentes partes ther-

thermometri mercurialis indicent, obtinetur æquatio $y. = \frac{7600x}{6000} - \frac{16xx}{6000}$. v. gr. ſi quæratur gradus thermometri mercurialis (cujus ſcala 6000 in temperie in 100 partes æquales diviſa eſt) reſpondens Thermometri ſpirituoſi gradui 20, erit $x = 20$. hinc $y. = \frac{7600.\ 20 - 16\ 20\ 20.}{6000} = \frac{145600}{6000} = \frac{152000 - 6400}{6000} = 24^{\circ}\ 16^{i}.$

Si gradus convertendi ſint in Farenheitianos obſervandum 8um. Farenheitianos reſpondere 5. Michelianis; & eos incipere 54° infra temperiem. Ergo rationem ſumo ut $1\frac{3}{5}$ unde regula 1^{a}. multiplica inventos gradus $24^{\circ}.\ 16^{i}.$ per $1\frac{3}{5} = 38\frac{3}{5}.\ 2^{\circ}$ producto adde 54° & prodibunt $92\frac{3}{5}$ thermometri Farenheitiani reſpondentes 20° Thermometri Reaumuriani:

vel Formula *pro convertendis* gradibus Thermometri Micheliani in Fahrenheitianos,

erit $F = \frac{1520 - 3\frac{1}{5}x.\ x}{750} + 54$

$= \frac{1520\ 20 - 35\frac{1}{5}\ 20\ 20}{750} + 54$

$= \frac{30400 - 1280}{750} + 54.$

$= \frac{2912}{750} + 54 = 92\frac{62}{75}$

Circa comparationem thermometrorum Michelianorum cum Reaumurianis aut Nolletianis, obſervo, terminos aquæ ebullientis in prioribus quæ R. conſtruxit Thermometris minorem gradum caloris indicare, quam obſervatio docet in Michelianis. Sed omnino hic terminus aquæ ebullientis per thermometrum ſpirituoſum menſuratus arbitrarius eſt, & nonniſi ſub certis conditionibus verus, cum ſpiritus vini multo citius ebulliat quam aqua; ebulliente vero ſpiritu vini ſubſultus naſcantur, qui incertis terminis definiuntur. Cum ergo ſpiritus vini aquæ ebullientis calorem non ſuſtineat, niſi thermometrum in aëre denſiori claudatur, ut denſitas aeris ebullitioni reſiſtere poſſit; & cum in deſcriptione a Cl. Reaumurio in Act. Gallicis A. 1730. data neque deſcribatur, quo gradu caloris thermometrum obſignatum fuerit, & quodnam aëri ſpatium fuerit relictum, & in quo gradu barometrum eo tempore conſtitutum fuerit, de caloris gradu, quem Reaumurius aquæ ebullienti tribuat, nil certi niſi ex obſervationibus cum ejus rhermometris factis judicare licet. Sed hæc inter ſe non conſentiunt juxta Michel. l. c. p. 34 A. 1740. in primo reſpondebant 10°. Reaum. $21\frac{1}{4}$ Michel. A. 1742. $12\frac{1}{8} = 23\frac{1}{4}$. Temperies caveæ in Obſervatorio in hoc thermometro eſt $10\frac{1}{4}$ quibus reſpondent 0 in Micheliano. Et juxta Reaumurium l. c. p. 489 & 503, volumina inter aquam congiaciantem & ebullientem a ſe obſervata

ſervata ſunt ut 1000. 1080. inter aquam conglaciantem & temperiem 1000. 1010¼; atque juxta hæc primi Thermometri Reaumuriani data video Miehelium ſcalam correſpondentis Reaumuriani thermometri ſuis thermometris adſcripſiſſe. In his calor aquæ ebullientis, in Reaumuriano ad 105°. aſcendit: Et 80°. calorem multo inferiorem indicat, qui 73⅛ in Micheliano reſpondent, qui accedit ad gradum caloris, in quo ſpiritus vini ebullit.

Nolletiana thermometra, quæ fere hodie vulgatiſſima ſunt, Reaumurianam ſcalam adſcriptam habent, in qua 80°. calorem aquæ ebullientis indicant, ſed is multo major eſt quam in veteri Reaumuriano cum reſpondeat 212 gradibus Farenheitianis, & 100 Michelianis, ſolent enim a Michelio edocti thermometra claudere in aeris temperie, in altitudine mercurii in barometro 27″. 9‴. vel ſi is minor fuerit, pro ſingulis pollicibus barometri deficientibus addunt 2°. ut ſi thermometrum conſtrueretur in elevatione Mercurii 26″. 9‴. ſcala inter conglaciationem aquæ ebullientem dividitur in 88°. & additis duobus obtinetur ſcala 80°, ad quos liquor adſcendit dum aqua ebullit, & mercurii altitudo eſt 27″. 9‴.

84.

W. DE LA CHENAL.

Cum nuperrime excurſus nonnullos botanicos facerem, in plantulas aliquot incidi minime vulgares, quarumque duas hactenus circa Baſileam nondum repereram, Geniſtam nempe 2. Tuæ Enum. Helv. & Ornithopodium. Ambæ hæ plantæ jam florentes collem ornabant agros Wylenſes a nemore Wylenſi ſeparantem.

Ibidem etiam aderat Alyſſum Allionii, ut & in pratis inter pontem Wieſæ & Wyl. In pratis vero inter Neuhaus & Haltiugen tantam ejus paſſim reperi copiam, ut etiam Ranunculo frequentia haud cederet. Circa hanc plantam, præter ea, quæ in diſſertatione mea de illa dixi, ſequentia annotavi: Radix albicans tranſverſa, guſtus acris, naſturcini, odoris poſt recentem effoſſionem ſimilis, validi. Caules pedales & ſemipedales. Rami florales ante florum aperturam nutantes. Calycis foliola elliptico-linearia, baſi non gibba, patentia. Ungues petalorum breves, erecti, bractea obovata, patente. Germen ovato-acutum. Stylus $\frac{1}{3}$ lineæ partem longus. Stigma capitatum integrum. Glandulas etiam armato oculo nullas reperi. Nondum mihi perſuadere poſſum, ſtirpem apud nos adeo vulgarem Bauhinorum recentiorumque botanicorum oculis ſe ſubduxiſſe,

nec tamen vel iconem vel descriptionem in iis reperio plantæ nostræ convenientem. Æque dubius hæreo, cuinam generi sit inserenda. Sisymbrii Alyssique, quotquot potero, examinabo, ut scire possim, ad quodnam horum generum referri debeat. Tuam Vir illustrissime de hac re sententiam scire valdopere cupio.

In omnibus agris lapidosis circa Wyl & versus Haltingen incredibili copia crescit Nasturtium petræum foliis bursæ pastoris C. B. In hujus plantulæ flore singulare quid observavi, nemini adhuc dictum. Intra quodvis nempe stamen majus squamula aderat parva, utcunque triangularis, alba, petalum referens, stamine dimidio brevior. Intra stamina breviora simile quid aderat, longe tamen minimum, & oculis nudis vix conspicuum.

Dabam Basileæ d, 9. Maij 1759.

85.

W. DE LA CHENAL.

Corallorrhizam nunquam ipse reperi; quam enim plantam olim a me in M. Muteto lectam pro ea habueram, omnino, sicuti optime jam in Judiciis Götting. monuisti, nihil aliud est ac nidus avis. Specimina tamen Corallorrhizæ sica perpulchra possideo ab amicissimo Chatelain entre la Combe de la Racine & la Brevine & à

Brazel Mairie de la Brevine, ad radices abietum copiose lecta. Si quando contigerit hanc stirpem nostris in montibus alicubi detegere, ejus stamina diligentius intuebor.

Ut desiderio quorundam virorum satisfaciam, observationes meas circa Frag. sterilem Trifol. ochroleucum, Alyssum Allionii & Salicem staminibus connatis repetam, Actisque Helveticis inseram. Accuratius etiam inquiram in characterem Arabis foliis ovatis scabris, siliquis recurvis Enum. Götting. quæ magna copia provenit in muro antiquo ptope Collegium Erasmianum.

Dum hæc scribo in Eruca inodora J. B. sæpissime 5. rarius 6. & 7. petala invenio. Annon hæc planta, ut & Eruca sativa Fuchs. (quam copiose in area arcis Montbelgardensis reperi) Brassicis potius erit annumeranda? Toto certe charactere quam proxime ad eas accedere videtur, imprimis glandulis illis, in quarum tamen differentia non optime Cl. Linnæus essentialem characterem plantarum 4. petalarum siliquosarum mihi videtur posuisse, cum in una eademque planta magnitudine & figura haud raro variare viderim.

Cathedra Botanica, de qua in litteris Tuis mentionem facis, & fortunis quidem meis & summo, quo in stirpium notitiam feror, ardori quam maxime esset conveniens accommodaque, dummodo humeris meis tale onus haud foret impar. Ex specimine enim meo facile perspicere potuisti, Vir Illustrissime, quod vesti-

veſtibula demum ſcientiæ botanicæ ſim ingreſſus. Tui vero dijudicationi relinquo, an procedente tempore, laboreque indefeſſo bono cum Deo aliquando talis conditionis valde mihi acceptæ, aliquatenus dignus ſim evaſurus. Hoc negotium ad Tuum arbitrium confero & ut illud pro lubitu dirigere velis enixe rogo petoque. Officii mei erit, quavis data occaſione re ipſa potius quam nudis verbis Tibi oſtendere, memoriam ſingularis Tuæ humanitatis tantorumque in me collatorum beneficiorum nunquam ex animo meo fore diſceſſuram.

Vale Vir Illuſtriſſime & favere perge.

Dabam Baſileæ 28. Aprilis 1759.

86.

W. DE LA CHENAL.

PRæterito die Mercurii faſciculum plantarum ad Zeerlederum miſi, quem brevi obtenturum Te eſſe ſpero. Montbelgardicæ ſtirpes ſunt rariores, quas ut Tibi mittam, diſceſſuro mihi tradidit amiciſſimus Berdot. Excurſus botanicos, quos poſt ultimas meas ad Te datas litteras in agrum Montbelgard. inſtitui, fere ſolus feci ob valetudinem Berdoti minus bonam. Juræ varios tractus adii in Burgundiam uſque, imprimis rupes ſalutavi, quæ oppidulum à D. Hippolyto dictum circumdant longa ſerie, variaſ-

riasque rariores ibi plantas legi, eas nimirum, quæ prope Montcherou indicantur, qui pagus dicto Hipolito vicinus est. Videntur mihi plantæ dictorum locorum jure Helveticis stirpibus posse annumerari, cum hæ regiones a jura M. undique circumdatæ, & Episcopatui Basileensi conterminæ sint. Circa Phalarin Oryzoiden Linn. olim jam a Cl. Viris J. R. Stæhelino & Miegio Fridlingæ repertam noto, quod nonnisi calyx biglumis adsit, gluma altera majori compressa, carinata, ciliata. Stamina tria. In Pepli frustraneo labore petala quæsivi.

Montbelgardo Basileam rediens, medio fere itinere inter pagos Florimont & Seppois ad viam juxta dumeta Trifolii speciem legi, nondum antea mihi visam, Trifolio vulgari albo cognatam, a quo tamen differt, caule assurgente a $\frac{1}{2}$ pede ad cubitum alto, foliorum petiolis brevioribus, capitulis minoribus, densioribus, floribus minoribus, elegantissime purpureis striis notatis; calyces, fructibus ad maturitatem accedentibus, reflectuntur. Legumina calycibus paulo majora trisperma. An Trifolium capitulis fructiferis reflexis, leguminibus trispermis Linn. sp. plant? Nomen & synonyma apprime conveniunt, neque tamen satis certus sum a Trifolio vulgari albo vere differre.

In agro inter stipulas ante portam Johanneam Lychnidem reperi, quam cum aliquo tamen adhuc dubio pro Lychnide noctiflora C. B. habeo. Pauca saltem exemplaria ibi aderant. Petala,

tala, quantum quidem in floribus jam emarcidis videre potui, unguibus gaudebant anguſtis, longitudine calycis. Bractea extus flava intus obſolete purpuraſcens, ſemibifida. Calyx 10. ſtriatus, ſtriis alterne venoſis, viridibus, valde viſcoſus. Fructus conicus, pedunculo incraſſato inſidens, glaber, calyce arcte cinctus, unilocularis. Semina plurima, reniformia, aſpera, compreſſa. Hanc & præcedentem plantam ſtirpibus Berdotianis addidi.

In agris humidis inter ſtipulas circa Rothhaus paſſim copioſum legi heri Centunculum Dill. novum, ni fallor, Helvetiæ Civem. Calyx ſæpiſſime quinquefidus, licet corollæ limbus conſtanter quadripartitus ſit. Stamina ſemper quatuor.

In ſylva montoſa inter Muttenz & Mœnchenſtein reliquias me reperiiſſe credo Veronicæ procumbentis Riv. Cum vero neque fructus amplius adfuerint, de ea certi quid non pronuncio. Nullus tamen dubito, quin & in Helvetiæ ſylvis reperiatur, cum Montbelgardi tam vulgaris ſit.

Ad Birſecum in graminoſis humidis copioſe etiam legi Trifolium fragiferum friſicum. C. B.

Quæ in ultima Tua epiſtola, Vir illuſtriſſime, de rebus Göttingenſibus ſcribis, ea novum ſunt benevolentiæ Tuæ erga me ſpecimen, mihi certe dum vita aderit beneficia Tua a mente mea gratiſſima non erunt abfutura. Amore ſtirpium qui in dies augetur ductus, hancce conditionem valde deſide-

rare

rare incipio, licet alio respectu eam haud parum reformidem. Utcunque fors cadet, semper tibi ero obstrictissimus.

Vale Vir Illustrissime & favere perge.

Dabam Basileæ die 19. Augusti 1759.

Aliquot Centunculi specimina hisce litteris adjicere haud incongruum visum est.

87.

CALDANUS.

ACcipies per Somisium tertiam epistolam meam, quæ Rossio inscribitur. Aspera mihi non videtur, & si, aspere in adversarios meos secunda conscripta est, quod certe miror, gratias ago quam plurimas, quod minus asperam vertendo feceris.

Vascula quidem alba, ut monui, detexi & ego in hepate; neque intelligebam, neque videre potui tertium illud quasi receptaculum a Ferrenio detectum, quod tamquam Malpighii folliculus haberi potest. Sumus nos Itali in eadem navi cum Gallis. Artem replendorum vasorum non tenemus, quam ego texere tamen vehementer aveo.

Iterum doleo, de Zinnii præmatura morte; quæ eum Zinnio magnum anatomes incrementum sustulit. Erat ille, ut credo, anatomicus Göttingensis. Erat ne etiam cum mortuus est? an cathedram amiserat aliquorum injuria?

Fab-

Fabbrius, ut monent amici, neque enim eo familiariter utor, Fabbrius inquam Lausannenſem collectionem non edet.

Evenerunt in Croatia protomedicum. Vim fecerunt plures ut oblatam dignitatem non recuſarem. Recuſavi tamen tum ratione loci, tum ſtipendii, quod ducentos nummos aureos, id eſt ſequinos, pro quolibet anno non excedit. Vale præſtantiſſime Haller, & me amare non deficias vehementer rogo.

Bononiæ die 21. Auguſti 1759.

88.

JO. MARIA DE TURRE.

TAnta voluptate perlegi binas tuas de ſanguinis circuitu & phlebotomia elucubrationes, quas mihi perlegendas dedit Jo. Viventius egregius Medicinæ Doctor, olim auditor meus in phyſicis & mathematicis diſciplinis, ut me continere non potuerim, , quin, licet ignotus Tibi communicarem, quæ decem ab hinc annis circa naturam globorum ſanguinis detexi microſcopiis exquiſitiſſimis. Hæc eadém ante triennium leviter attigi in epiſtola data ad doctiſſimum Profeſſorem D. Jallabert, qui ad me reſcripſit, ſe civilibus negotiis diſtentum, tantum otii non habuiſſe, ut accuratiſſime potuerit certas comperire obſervationes eas, quas

ad

ad ipſum miſeram. Quoniam celebris es præclaris in phyſiologia nova inventis, in ſyſtemate, aliisque operibus immortalitate dignis, & tanta uteris diligentia in obſervationibus naturalibus péragendis, ut meliorem natura ipſa optare non poſſit, non gravabor, quæ pluſquam millies diſtincte obſervavi circa globulos ſanguinis, candide tamen communicare, ut ſi quem uſum habere poſſunt in ejus circuitu per arterias & venas, & præcipue in ſecretione fluidorum, facile ipſum conſueta ſolertia Tua eruas, poſtquam quæ indicavero iterum omnia accuratiſſimo examini Tuo ſubjeceris.

Sanguineos globulos ſæpiſſime cum Jo. Ventio obſervavi, microſcopiis lenticularibus ſimplicibus, & compoſitis, & microſcopio ſolari D. Lieberkuhn, quod mihi paravi ita accuratum, ut fere ab omni iride immune ſit, & quidem globulos hos contemplavi in ſanguine humano, ranarum, aliorumque animalium vel in eorum arterumine reriis veniſque vel excepto tubis capillaribus, tam flexo, quam refracto, nunquam tamen mihi adeoſatisfecerunt obſervationes, quas habui, ut nullum dubium de vera globulorum figura relinquerent. Tandem obſervationibus his incaſſum habitis, quæ in dies dubiam mentem angebant, totum me converti ad globulos minimos conficiendos ex pura cryſtallo, ut iis, ſi perquam minimos igne parare poſſem, rem totam abſolverem. Poſt diuturnos labores eo perveni, ut parare facile potuerim globulos, quorum diametri eſſent æquales dimidiæ, tertiæ, & quartæ parti Lineæ

Lineæ Pariſienſis, imo quandoque adeo exiles, ut lente tantum eos detegere potuerim, & vix inter duo cola orichalcea detinere potuerim, quin ſæpe a foramine interiori facile exiverint. Modum microſcopium hæc ſimplicia parandi, quibus patent, quæ aliis, licet affabre elaboratis Londini, Pariſiis, in Hollandia, aliiſque locis, quæ omnia vidi, certe patere non poſſunt, libenter, ſi Tibi arriſerit, communicabo; omnia enim, meo quidem judicio, inter cultores hiſtoriæ naturalis communia eſſe debent, ut in dies ſcientia hæc divina majus capiat incrementum.

Paratis ita globulis per quam minimis & perfecte rotundis, obſervationes cum Jo. Viventio inſtituere cœpi, adhibendo exiguam ſanguinis guttam, probe compreſſam inter duas laminas rotundas, ex pellucido talco confectas, & foraminibus uſſulæ eburneæ applicatas, ope circulorum ex filo orichalceo. Res ex voto ſucceſſit; cum enim laminas ex talco in omnibus ſuis latetibus cohærere impoſſibile ſit, præbuerunt mihi occaſionem contemplandi in aliquibus locis globulos immobiles & ſolitarios, in aliis globulos per talcorum anguſtias, veluti per canales diverſarum diametrorum decurrentes; in aliis globos conglomeratos & quietos, aut in vorticem actos, aut ſeſe æquilibrantes. Eaſdem obſervationes cum diverſis laminis ex talco tentaveram, probe ſemper ad invicem apprimendo, circulo ex filo orichalceo rotundo foramini

assulæ eburneæ, quod vix tertiam pollicis partem æquabat.

Observationes novæ institutæ fuerunt globulo, qui augebat diametrum objecti ut 1. 780. Modum quo de hoc augmento certior factus sum, alias describam. Globulo hoc jam dubitare cœpi de rotunda partium sanguinis figura. Hæ enim in locis innumeris, hujus formæ, & magnitudinis apparuerunt In nonnullis locis inter laminas erant hujus formæ, & voluminis ; in aliis vero hujus Ubi erant plures simul conjunctæ ita videbantur.

Quoniam tamen adhuc minimæ mihi videbantur partes sanguinis, ut tutum de his judicium proferre possem, statim adhibere cœpi globulos multo minores, & quam minimos, quos parare potuerim, ut objectorum diameter bis mille, & amplius augeretur. Tunc autem ita clare, & distincte cum Viventio, aliisque perpaucis, vidi figuram particularum sanguinis, earum motum, & mutationes figuræ, ut nullum amplius de his dubium superfit; hinc modo nihil ulterius opto, quam ut alii diligentissimi observatores, e quorum numero merito emines, id plenius confirment. Non enim is sum, ut mihi unice standum esse a viris doctis putem. *Observationes* autem sequentes sunt;

1°. Partes sanguinis apparent sacculi membranosi hujus formæ cum per angustias minores propria diametro moveri cogantur.

2°. Statim ac majorem locum inter laminas nanciſcuntur hanc formam acquirunt magis, aut minus rotundam juxta anguſtiam minorem, aut majorem. Semper tamen diſtincta detur linea obſcura, ut in a, qua ſacculi extremitates junguntur. Citiſſime incurvantur cum in latiori loco ſunt.

3°. Sacculi hi, cum poſt dimidiam horam ſanguis inter laminas exſiccatus eſt, vix in aliquibus locis apparent, ſed alicubi inter laminas videntur aquæ guttulæ diſperſæ, alibi color pellucidus, alibi color tenuiter flavus, alibi color dilute ruber; ſed hi colores ſuntque uniformes, abſque ulla diſtinctione globulorum, aut ramulorum, ſi laminæ bene cohæreant, ut vix ſuperficiem exiliſſimam globulorum admittant. Si vero latior inter laminas campus fuerit, tunc ibi ſanguis coagulatus magis rubet, & plures ramuli nigri obſervantur.

4°. Sacculi hi ſolitarii lumine refracto obſervati pellucidi ſunt, ſi plures contigui fuerint, tum videtur ibi color aliquis dilute flavus, ſi plures ſuperficies globulorum ſuperimpoſitæ fuerint, tunc rubere incipiunt globuli, & maximo rubore inficiuntur, ubi eſt inter laminas maxima copia ſanguinis.

Ex obſerv. 1. conſequitur, partes ſanguinis non globos eſſe, ſed ſacculos membranaceos, qui maximo elaterio gaudent ex obſ. 2. & in annulos conformantur, ut imitentur globulos, ſi microſcopiis mediocribus obſerventur, vel plures globulos ſimul conjunctos, ut Leewen-

oeckio visi sunt, vel ex obs. 3. ramos implexos, ut vidit D. Adams in Transf. Anglicanis. Sacculi hi pleni sunt parte puriori lymphæ, quam imbibunt per exilissimos poros membranæ ex qua componuntur, ut innuere videntur ea quæ notantur in observ. 3. Sacculi hi nullum colorem exhibent si lumine refracto observantur, pallidum, aut rubrum juxta densitatem membranæ: si lumine reflexo eos intueamur, Membrana itaque eorum omnes radios coloratos transmittit, excepta portione radiorum rubrorum quos regerit. Iis applicari posse videntur, quæ de coloribus ampullarum saponacearum animadvertit Newtonus. Cum hæc jam epistola modum excesserit, te amplius non morabor in explicandis diversis iis formis, & coloribus, quibus sanguis pluribus apparuit observatoribus; hæc enim facile ex vera partium sanguinis forma erui possunt. His interim fruere & vale.

Dabam Neapoli in æde Demetrii quinto Kalendas Septembris anno ab incarnatione 1759.

89.

JOH. FRANC. CIGNAS.

CUm societas nostra Taurinensis Miscellaneorum tomum primum evulgaret per societatem ipsam

ipſam mihi mandatum eſt ut exemplar unum ad te mitterem, teque vehementer rogarem, ut ſi quæ horula a graviſſimis ſtudiis tuis, atque a gerenda republica vacares eam ſpeciminibus noſtris percurrendis inſumere velles, tuumque de iiſdem judicium nobis ſignificare, quo tamquam norma in ſtudiis noſtris impoſterum uteremur. Itaque libri exemplar unum cum litteris dedi Baroni Crouſaz ut Tibi reddendas curaret. Librum ad Te perveniſſe per Profeſſorem noſtrum Somis jam diu certior factus ſum; de litteris nihil amplius accepi, ut eaſdem intercidiſſe non immerito verear, quas tamen tibi reddi eo magis mihi curæ fuerat, quod gratum animum tibi teſtarentur, propter ſingularem humanitatem, qua elapſo anno diſputatiunculam illam meam nomine tuo ornari permiſiſti, & typis committi curaſti, pro quo honorificentiſſimo indulgentiæ erga me tuæ teſtimonio perpetuo me tibi devinctum habebis: judicium quoque tuum, de quo per eaſdem litteras te rogaveram, avidiſſime exſpectabamus, & non tam librum ipſum, quam conſilium, volnntatemque noſtram tibi probari vehementer optabamus: qua enim ès doctrina, ingenio, candore, tantam in judiciis tuis auctoritatem es conſecutus, ut qui ſuffragium tuum promeruerit omnium eruditorum ſuffragia ſibi pollicere poſſit, quod nobis ſi unquam in præſentiarum eſſet optandum, non quidem quod deſiderio laudis tantopere moveamur, ſed quod primordia hæc ſocietatis aliquod grave, & lu-

culentum teſtimonium expoſtulent, quo Rex, & Magnates ad bene ſperandum excitentur, ut naſcentem ſocietatem tueri, & augere conſtituant; quod ſi aliquando contingat, plura nos & meliora edituros eſſe ſperamus. Neque ullum profecto gravius, aut luculentius teſtimonium nobis optare liceret, quam ſchedulas aliquas tuas, quæ forte in majoribus operibus tuis locum non inveniant, & ſequenti miſcellaneorum noſtrorum tomo inſerere velles: tale enim tanti Viri teſtimonium apud exteros, & poſteros ad celebritatem, apud noſtros ad incrementum ſocietatis ſummopere conduceret. Id porro deſiderium noſtrum ne ſignificare quidem tibi auſus fuiſſem, ut juvenilibus noſtris ſpeciminibus divina ſcripta tua permiſceres, niſi viri alii ſummi, & tota Europa celeberrimi de lucubrationibus ſuis tranſmittendis ſpem nobis feciſſent, quæ tuarum dignitati magis conſentaneæ eſſe poſſint. Quod ſi itaque votis noſtris indulgeas, & tanto beneficio ſocietatem cumulare velis, quæ inde egregia commoda in ipſam emergent, tantiViri humanitati accepta referentes perpetua animi grati recordatione recolemus. Te interim enixe rogo, ut me ſocietatemque noſtram ſub clientelam Tuam excipere velis.

Vale Vir celeberrime & fave.

Scribebam Taurini die 1. Septembris 1759.

90.

DE LA CHENAL.

NOn ſine voluptate ex ultimis Tuis litteris cognovi, quam pulchras raraſque ex Alpibus retuleris ſtirpes; earumque faſciculus, quem promiſiſti, erit gratiſſimus. Si quæ etiam aliarum rariorum plantarum ſpecimina poſſideas, quibus carere facile poſſis, eas ut mecum communicare velis, enixe rogo, meas qualeſcunque vicſſim afferens.

De Lychnide, quam in ultima mea epiſtola dixi, certum eſt eſſe Lychnidem noctiſloram, cum floris ſtructura talis omnino ſit, qualem in Enum. Götting. deſcribis, niſi quod petalorum limbus in ſpeciminibus meis ſemibifidus ſit. Sed& ſummitates viſcoſæ meam plantam aLychnide dioicæ ſatis ſuperque diſtingunt.

Trifolium fragiferum nunc ubique reperio.

Quod Göttingæ in alium potius, quam in me inclinent, non miror neque ægre fero. Licet commendatio Tua ſperato effectu caruerit, ſola tamen voluntate in perpetuum me Vir illuſtriſſime devinxiſti, ita ut verba non inveniam, quibus gratiſſimæ mentis teſtimonium exhibeam. Non parum tamen doleo, domeſticis rationibus, ſuaſuque parentum brevi me fore coactum, praxi medicæ operam navare, cum in hanc medicinæ partem minime inclinem facileque prævideam, multum illam temporis

mihi esse sumpturam, quod multo majori voluptate, stirpium cognitioni vel Chemiæ impenderem.

De honorifica Tua invitatione grates maximas ago. Talia itinera botanica majora lubentissime jam instituissem, adhucque instituerem, nisi patre jam dudum essem orbatus, qui necessarios pro iis sumtus suppeditare queat.

Ex nonnullis, quos nuperrime institui excursibus, pulcherrimas retuli stirpes, quarum tres in Enum. Tuæ Helv. non reperiuntur. En earum catalogum.

1°, Scirpus acicularis Linn. abunde in superiori piscina prope Kleinriehen in fundo aquæ & in sabulo humido, quod aqua recessa nudum reliquit.

2°. Carduus Taricus Linn. in dumetis trans Birsam inter pontem majorem & D. Jacobum. Pulchra planta, floribus magnis albis; calycis squamis in breviſſimam spinam mollem & inermem terminatis, caule non alato, foliis radicalibus pinnatifidis, caulinis dentatis amplexicaulibus. Pappoplumoso, omnibus vero foliis margine ciliato-spinosis &c. Animus est integram ejus descriptionem adjecta icone tradere in 4to tomo Actor. Helv. Licet Linnæus nulla synonyma addat, certissime tamen est Cirsium Alpinum, foliis ad costam integris &c. Ponted. differt. p. 133. n. XIII. cum nomen & descriptio eximie conveniant.

3°. Pseudocyperus maritimus Michel s. Scirpus acutus Linn. copiose in aquosis ad Rhenum infra Neudorf.

4°. Rhamnoides. Ad ripam Rheni inque ejus insulis frequens infra Neudorf.

5°. Eruca sativa Fuchs. Incredibili copia una cum Eruca inodora J. B. circa & infra Neudorf in agris, ad vias, fossas, inque humidis ad Rhenum.

6°. Orobanche ramosa, Diu frustra quæsitam tamen reperi infra Neudorf inter cannabim copiose.

7°. Gramen paniculis elegrantissimis minimum Scheuchz. In arenosis ad Wiesam & ad ripam Rheni extra portam Johanneam, ubi dudum jam invenerat Cl. Miegius.

Priorem catalogi plantarum rariorum Basil. partem, cujus posteriorem dudum misi, propediem Tibi adjectis nonnullis graminibus, muscis, aliisque plantis dubiis mittam.

Vale Vir Illustrissime & favere perge.

Dabam Basileæ die 12. Septembris 1759.

91.

DE LA CHENAL.

ALteram epistolarum Tuarum ultimarum ad Am. Berdot. conscriptam, mihi vero nescio quam ob causam inscriptam, ipsi dudum misi.

Fasciculum plantarum, quem promittis, lætus accipiam.

Iter, cujus ſumptus largiri offers; lubentiſſime ſuſciperem, niſi ob affectus hypochondriaco-vertiginoſos, quibus ſatis ſum obnoxius, vias illas anguſtas & abruptas locaque horrida præcipitiis imminentia, quæ in alpibus vulgaria eſſe dicuntur, timerem. Ea igitur, ſi placeret, loca adire poſſem, quæ tali periculo carent, utut ceterum tranſitu permoleſta ſint, hoc enim nihil curo, ita v. gr. ſolas præfecturas tranſalpinas perluſtrare poſſem, vel Valeſiam vel alia quæcunque loca, ubi ſupra indicata pericula haud offenduntur. Cum idem iter mihi propoſueris, quod Cl. Gagnebin hac æſtate inſtituere promiſit, ejus iter locum non habuiſſe videtur.

Nuper inſtituto excurſu botanico circa pagos Alſchweyler, Hægenheim &c. inter cannabim ubique copioſam offendi Orobanchen ramoſam. Inter Alſchweyler & Neuweyler juxta pinaſtretulum ad dextram ſemitæ, loco macilento & ut apparebat, ſicco, aprico, præter Parnaſſiam, Orchidem ſpiralem, Gentianam cæruleam oris piloſis, Millefol. nobile &c. magnam copiam legi Pſeudoaſphodeli alpini C. B. Foſſam illam, quæ a piſcina Alſchweylenſi ad piſcinam prope Schuzenmatten decurrit & per ipſum pratum ſclopetariorum tranſit, totam plenam reperi Phalaride oryzoide Linn. ſed & heri ſaltem idem gramen ad marginem piſcinæ mediæ prope Kleinriehen magna copia legi. Singulare in hac planta eſt. quod panicula, ſemine ad maturitatem accedente, totam ſeſe *in*

Va-

vagina ſupremi folii abſcondat, ſine dubio ne folliculi, una cum tenuiſſimis ſuis petiolis valde decidui, juſto citius delabantur. Talia ſpecimina nonnulla plantis a Te deſideratis & propediem mittendis, adjiciam.

Cl. Miegius praxi medica, ob dyſenterias & variolas epidemice heic graſſantes, obrutus hactenus impeditus fuit, quominus plantas, quas Tibi Vir illuſtriſſime! promiſit, mitteret; eas ſtirpibus adjiciet.

Chondrillam viſcoſam humilem C. B. in agro prope Neuweyler non copioſam legi abſque flore.

Centunculum etiam præter locum olim Tibi indicatum, in pratis udis prope Bottmingam valde frequentem reperii.

Vale Vir Illuſtriſſime & favere perge.

Dabam Baſileæ die 17. Octobris 1759.

92.

JOHANNES GESNERUS.

EQuidem inſolitum ſilentium tuum aliquam apud me ſollicitudinem excitavit, Vir amiciſſime. Gaudeo vero Te ex dolorifico tumore reconvaluiſſe & firmiſſimam ſanitatem opto. Cara conjux poſt inciſionem tumoris intra biduum reſtituta fuit per Dei gratiam.

Ad Bergerum Tubingenſem ſcribam proxime, deſideratum librum petiturus.

In

In pretium transmissorum inquiram.

Libri D. Benevenuti nondum advenerunt.

Stokarus nuper per nobiliss. de Fagel & Tavel dissertationes quasdam medicas misit absque litteris, unicum singulæ exemplar.

Manet de morbis infantum lactantium. 1724.

Am. Guill. *Marcus* de fabrica & actione Ventriculi, 758.

Abrah. *Ledeboer* de respiratione 1757.

Alb. *Guex* de humoribus cordis in statu sano consideratis 1758.

P. *Luchtmanns* de saporibus & gustu 1758. Significabis quas ad Te mitti velis.

Clariss. Gaubius nostro Stokaro optime cupit, sed quid in vacante cathedra Göttingensi efficere possit non video. Meretur sane ob optimos mores & egregia studia bonorum favorem; & eum in Te patronum habere gaudeo. Forte Nob. de Brunn favorem in eum derivabit, quem pro defuncto nepoti destinaverat.

Vitoduri puer ex calculosa affectione defunctus cultro anatomico subjectus est, præter vesicam urinariam, in qua calculus delitescebat secundaria & inferior deprehendebatur, in quam ex superiori duæ distinctæ urethræ calami crassitie ducebant; insolitum sane phænomenon.

Vicus Embaracensis Præfecto Kyburgensi paret, ad eum itaque litteræ mittendæ erunt, Huic h. t. ad initium Februarii 1760. præest D. Joh, Escherus. Ille ipse qui convivio tuo

Docto-

Doctoralî Leidæ intererat, & cujus filius Göttingæ per aliquod tempus commoratus est.

Gaudeo Te Historiam plantarum Helvetiæ tot eximiis accessionibus locupletare, & inventa cum publico communicare.

Physiologiam avidissime exspecto, sed quæso pretium ejus addas, ut gratus persolvam.

Vale Vir amicissime & Illustris ac me ut soles perge amare.

Tigur. ad d. 20. Oct. 1759.

93.

CALDANUS.

Me non latet quam lenti sint bibliopolæ in rebus gerendis. Dolet quod Januario mense proximo, de anatome publice disputaturus, Tua Vir præstantissime, legere prius non potero. Nunc musculos omnes suis locis positos scholaribus ostendo, cum superioribus diebus ossa demonstraverim; deinde transitum faciam ad viscera tum in sua sede, tum extra hanc demonstranda: quæ omnia ideo facio, ut clarius intelligant disputationes, quæ postea circa usum præsertim partium omnium versantur. Vellem, si tempus erit ut spero, viscera quædam colorato liquore replere: sed peto ut ad hæc respondeas. Aqua ebulliens in intervallo duorum cylindrorum debetne ebullire tunc cum tubum replere volo,

volo, aut ſolum ut ſperma ceti, ſebum, & ceta liquefiant? Neceſſene eſt, ut ſæpius feci, injicere aquam calidam per arteriam, ut ſi forte ſanguinis grumi in replendo viſcere deliteſcant, ſolvantur? Cum in *arteriam grandem* dicis, intelligis ne in *Aortam*, aut potius in grandiorem illius viſceris, quod replere volumus? Ad colorem quid aptius eſt? cinnabaris, aut terra viridis, aut quid aliud? Sunt ne hæc adhibenda in pollinem tenuiſſimum redacta aut alia ratione? Peto veniam ſi multa ex te quæro. Deſiderium quod habeo, ut res bene cedat, importunum me facit.

Dabam Bononiæ die 23. Octobris 1759.

94.

BERDOT Fil.

OMnia quæ Tibi arrident plantarum plura mittere non poſſum ſpecimina, cum pluribus ipſe non ſim inſtructus, efficiam tamen ut quarum mihi eſt anguſtia, eas ex Lachenalis herbario accipias. Neſcio ſane qui factum fuerit, ut tam parca manu rariores aliquot plantas legerim, cum multo frequentioribus vix ſat chartæ fuerit recondendis. Roſæ fol. pimpinellæ duo ſpecimina abſque flore habeo, unum mitto. Orobanchen, cujus jam iconem accepiſti, plantis addo, hanc, ſi vacat, reddas quæſo. Cor-

nus mas, nobis in ſylvis Manduodurenſibus frequens eſt. After luteus foliis ſucciſæ Rupp. ſub rupe Bavanienſi ad Dubim inter ſalices, Herniaria hirſuta, in agris lapidoſis prope Arbonans; Argemone capitulis longis glabris, eſt ad agrorum margines propre urbem & in ruderoſis arcis.

Orizam noſtram pro varietate 3^ii^. milii Hoff. Act. Helv. Erucam ſativam Fuchſ. pro Siſymbrio vimineo Linn. & Carduum heterophyllum pro tuberoſo habet D^nus^. Spielmannus.

Roſam mitto mihi minus notam in paſcuo Epais prope Montecheroux rarius occurrentem; hujus nomen ſi dare velles, pergratum foret. Cum porro tuis de partibus ſenſilibus & irritab. obſervationibus operam des, en obſervatiunculam quæ ſi aliquid facere viſa fuerit, gaudebo.

Obſ. oculis captæ, annorumque 86, anus Hericurienſis, inferiorem tibiæ partem depaſcebatur ulcus cacoerhes, denudatum magnam partem extenſorem proprii pollicis: tendinem linteis fricui, digitisque tetigi; ſciſcitanti num ſentiret? utique dixit, num doleret? nequaquem. Inter loquendam, fuſi, qui ad manus erat, acutiori extremo, non commonita anu, tendinem denuo tetigi, irritavi, nullum inde vel ſenſus vel doloris dedit indicium. Octiduo poſt exſuccæ & miſerrimæ vitæ mors finem fecit.

Vale, Vir Excellentiſſime & favere perge Tui Cultori.

Scribebam Montbelgardi d. 27. Octobris 1759.

95.

DE LA CHENAL.

MItto Tibi Plantas a Te deſideratas Berdotianas & meas, quibus Cl. Miegius faſciculum jungendum miſit.

Iter eo, quo ſcripſiſti, modo lubentiſſime ſuſcipiam, eoque majori cum voluptate, quod loca illa Helvetiæ tranſalpina ſtirpium gratia, nondum, ni fallor, ſint perluſtrata.

Inter plantas, quas ut proximo vere Tibi mittam, cupis, etiam Alſine eſt verna glabra: an ſub hoc nomine eam Vir illuſtriſſime! intelligis plantam, quam Vaillantius ita denominavit? ſed hanc circa Baſileam neminem adhuc reperiiſſe puto. An vero Alſinen vernam glabram floribus umbellatis albis Tourn? quæ noſtrorum agrorum frequens eſt incola. Lathyrum Narbonenſem, quem ex horto habeo, nunquam ſpontaneum apud nos vidi, neque ejus varietatem anguſtifoliam, ut fere crediderim ex incuria quadam vel nimia feſtinatione C. Bauhino has plantas in Catal. ſuum irrepſiſſe.

Valde miratus ſum de eo, quod de Hippomarathro Riv. ſcripſiſti, a quo plantam umbelliferam Montbelgardenſem parum vel nihil differre credidi, licet in icone Riv. utique figura involucri non valde arriſerit. Videntur nihilominus plura ſynonima, quæ ad Seſeli Enum. Helv. refers, ad noſtram plantam eſſe referenda,

da, quod imprimis de J. B. plantis certiſſimum eſſe novi.

De Trifolio reflexo Linn. quod dudum Tibi, Vir Illuſtriſſime! miſi cum aliis ſtirpibus, nihil reſcripſiſti; annon fig. 1. Tabulæ XXII. in Vaillantii Botan. ad illud referri debet? Omnino mihi ita videtur, & doleo, quod in textu hunc Melilotum omiſerit.

Proximo vere Raphaniſtri ſegetum (quod in litteris Tuis ſub Erucæ aſperæ nomine Te intelligere puto) varietatem flore flavo eam albo conferam. In ſpeciminibus meis ſiccis, præter colorem & glabritiem flavo majorem nullam differentiam reperi.

Plantas, quas promittis, lætus accipiam. Eo gratiores erunt, quod, uti ſcribis alpinæ ſint, Helvetiæque indigenæ.

Muſcos nunc, quorum haud exiguam jam copiam habeo, hac hyeme undique colligam, Tibique ſi placet, rariores ex iis proximo vere communicabo. Magnus enim eorum apud nos eſt proventus, cum idonea loca, ubi naſci amant, ubique præſto ſint. Minus felix hactenus fuit labor meus in minimis illis Bryi ſpeciebus, quas nudo oculo vix ac ne vix quidem a ſe invicem diſtinguere poſſum. Difficilior tamen adhuc mihi videtur claſſis Lichenum & Lichenoidum.

Vale Vir illuſtris & favere perge.

Dabam Baſil. d. 22. Nov, 1759.

96.

FELIX FONTANA.

Litteras Tuas Junio datas per Manettum accepi pridie Kal. Nov. cum eo eſſem ut Florentiæ proficiſcerer. Dabis itaque veniam, ſi nunc ſolum grati animi ejus reſpondeo, officiique erga Te mei declarandi occaſionem arripio. Lætatus valde ſum, magnamque percepi voluptatem, intelligens communem amicum, quem ſemper magni æſtimavi, & cujus familiaritatem frui ſemper & colui, omnimoda ſe geſſiſſe ſinceritate in illo negotio, de quo alias ad te.

Exemplaria illa, quæ mihi humanitas Tua benigniſſime pollicetur, ſi ad amicum Caldanum Bononiam tranſmiſeris rem mihi gratiſſimam facies; ita enim ad me quam citiſſime per ipſum Caldanum de condicto Romam pervenient. Diſſertationem illam meam *de motu pupillæ*, *ejuſque ſtatu*, quem Lauſannæ typis edere in animo habes, ſicut mihi ſignificas ad Te mittere non non prætermittam hac conditione ut tu omnium naſutiſſimus emendes, & corrigas ea ompnia, quæ tibi minus accurata, minus ad mentem elaborata videbuntur, uno verbo, ut omnia ad libitum deleas, mutes, refundas. Ceterum non deſpero, fore ut ea tibi non omnino diſpliceant; continet enim (abſit verbo invidia) nova multa, & ab aliis, quod ſciam non adhuc obſervata, quæ ad oculi mecha-

mechaniſmum, & theoriam phyſiologicam melius intelligendam, & longe clarius, quam hactenus præſtitum ſit, pertractandam poſſunt manuducere.

Quæſtio mihi dudum propoſita fuit diſcutienda per Medicum Veronenſem, num oſcillationes continuæ & ſibi mutuo ſuccedentes, in muſculo ſemel tantum irritato, pendeant ab ejuſdem muſculi *irritabilitate*, eo modo quo continuatio vibrationum in elaſtris ſemel compreſſis manet ab eorum elaſticitate, vel an potius oſcillationes ſingulæ novam ſemper cauſam requirant, a qua excitentur. Ut hanc quæſtionem dirimerem, & omnibus occurrerem difficultatibus plura tentavi pericula ad determinandam vim, quæ requiritur, ut nervo compreſſo muſculus reſolvatur, & paralyſim contrahat, quorum experimentorum nonnulla ad quæſtiones alias definiendas & feliciter enucleandas aditum mihi latum aperuerunt; hacque præterea occaſione novum mihi, nec opinanti occurrit argumentum, quo, aut ego omnino fallor, a motu muſculorum quælibet efficiens cauſa externa excluditur.

Præter hæc alia multa experimenta cepi reſecando nervos in animalibus adhuc juvenibus, muſculoſque multis poſt diebus irritando, quæ mihi luculenter demonſtrare videntur, & extra omnem teli jactum conſtituere, irritabilitatem eſſe peculiarem fibræ proprietatem, a ſpiritibus quibuſcunque hoſpitantibus independentem. Vale interim Vir Cl. & ornatiſſime, meque

tunc tibi maxime devinctum ſcias, cum libere operam meam adhibebis, & me occupatum in tui famulatum ſervabis. Jube itaque, meque uti addictiſſimo utere; augebitur obſequium erga Te meum, officium (ſi capere incrementum poteſt) & fides. Me ama & vale.

Romæ Kal. Dec. 1759.

97.

CASUS MEDICUS.

ILluſtriſſima S. R. F. nata Comes Eſthera Teleki conjunx Ill. D. Comitis Sigismundi Torezkai annum agens ætatis 19^num^. vitæ conjugalis alterum, habitu paulo laxiore, debiliore & humidiore, facie ex albo ſubpallida, forma ceterum elegante, animo miti, tranquillo, prudenti prædita, vitæ ſedentariæ, & ad morem magnatum delicatiori, ſomnoque juſto longiori, id eſt ad horas 9 10. protenſo, atque eduliis farinaceis, infermentatis & pinguibus liberalius, vino autem & potione coffe parcius ſemper utens; quinque abhinc annis febre acuta correpta altero morbi die ſupervenit ſymptoma catalepſi proxime accedens: quod tamen ex medicorum adſtantium conſilio ſecta in dextro brachio vena, ſenſim diſparuit: quarto die variolæ in planta pedis paucæ, ſed in facie & brachiis mox plures conſpici ceperunt, reliquum

quum vero corpus his exanthematibus manſit fere inmune. Id in eruptione obſervabatur, ut variolæ primo quaſi confertim prodire volentes mox retroceſſerint, adeo ut una vix ex quinquaginta in veſiculas tandem emerſerit. Ex his tamen ad tempus conſuetum, id eſt diem 14um convaluit, ſed ab eo tempore debiliore ſe ſemper ſanitate uſam affirmat. Oculi quoque ad aliquod tempus manebant caliginoſi; verum brevi poſt, claritas viſus iterum rediit.

Alvum naturaliter ſemper habuit paulo ſegniorem; appetitum, imprimis carnium, paucum; catamenia 17°. ætatis anno primum eruperant, paucis licet tentata remediis emmenagogis: ab eo tempore, ut plurimum, regulariter fluunt ſed nimis parce, nec ſatis colorata. Ante aliquot menſes ſalinis pharmacis utens, ſub debito temporis intervallo, ter, quaterve prodiiſſe tantillum obſervavit. Pulſus naturaliter ſe habet, niſi quod pro reliqua corporis temperie ſit paulo debilior.

Menſe Octobri anni præterlapſi, hinc ex Tranſylvania Hungariam, inde menſe Januario anni præſentis Viennam profecta cum Il. parentibus atque Ill. Marito, ſenſit, maxime Menſe Februario, vires ſibi decreſcere, appetitum magis ac magis inminui: cepitque nauſeas, crebras vomitiones (dum ſtrias quoque ſanguinis nonnullas ejecit) vertigines, capitis dolores, cumprimis in ſincipitio, frigidos pati; ad hypochondrium ſiniſtrum, ſine ullo tamen præſente vel præcedente tumore aut

duritie, ſæpius dolere. Et hæc omnia dum curru veheretur, aut pedibus celerius iter faceret invaleſcere ſolent. Ventriculus poſt paſtum una atque altera hora frequenter dolet. Pedes ſunt debiles & cito defatigantur, maxime ad poplitem & ſuras. Cor ſæpius palpitat & dolet. De pectoris adgravatione, (quæ nonnunquam cum obtuſo dolore eſt) ſæpe conqueritur. Fauces quoque interdum conſtringuntur. Raro tuſſit; nec multum aut morboſi quidpiam excreat. Saliva tenuis mane cum nauſea copioſe profluit; calorem aëris rariſſime ſentit: nec facile ſudat. Extrema pedum manuumque, ut plurimum frigent. Somnus eſt turbulentus. Mane poſt ſommum torpidior eſt quam circa veſperam. Hieme & primo vere ex his omnibus magis laborat, quam æſtate adulta, item tempeſtate frigida & humida quam ſicca & calida. Ab acidis, cepa & aliis flatulentis pejus ſe habet. Dum ſemel in thermas Budenſes, quæ multum ſunt calidæ, deſcendiſſet, in ipſo ſtatim balneo & poſtea, ingenti languore, vertigine, nauſea & pectoris obpreſſione corripiebatur, unde ab iis tandem abſtinuit. Sed quod maxime angit, obſervat palpebras ſuperiores, ac ſi ſommo premeretur, ut plurimum graves. Oculi ſunt humidi, lacrymas tamen rarius fundentes. Iris, ad maiorem minoremve lucis adfluxum ſatis ſenſilis. Oculi ſunt clari, ſine ullo rubore vel dolore: præterquam quod ad fundum oculi obtuſum aliquem dolorem interdum ſentiat. Maculam quoque nigricantem nunc propius nunc remo-

remotius oculis nonnunquam obverſari conqueritur. Hæc a quatuor circiter menſibus aliquale augmentum ceperunt. Verum & antea & modo pro varia aëris temperie & diſpoſitione corporis, prout ſcilicet perſpiratio cuticularis melius vel pejus procedit, nunc majori nunc minori menſura adſunt. Legere tamen vel minatos characteres ſemper poteſt; ſed cito obnubilantur oculi, objecta quoque majora ad 400 & 500 paſſus percipere, ſæpe etiam diſtinguere valet. Sæpe vero & propinqua obſcurius videt.

Collatis, ut decet, inter ſe enumeratis ſymptomatibus omnium horum malorum cauſa in præternaturali fibrarum in ipſis viſceribus chylopoieticis atque univerſo corpore laxitate, & hinc ſenſim nato glutinoſo & acido ſpontaneo, atque inordinato ſpirituum motu hærere extra dubium eſſe videtur, viſceribus (de quorum neſcio quali obſtructione & corruptione multi multa loquebantur) omnino integris exiſtentibus.

Viſus vero vitium ab humorum crudorum & viſcidorum, conſequenter & impurorum in univerſo corpore redundantium ſua quoque ſponte, proxime vero in nuperis illis cephalalgiis vomitionibus ad caput, ibique etiam oculos decubitu arque accumulatione, & facta hinc nervi optici aut tunicæ retinæ aliquali compreſſione enatum eſſe vero eſt valde ſimillimum.

Remedia vero, quibus uſa eſt, Pharmaceutica ordinata ſunt per Doctorem Mattyus hunc

in modum: Rec. extract, panchym. dr. ij. reſin. Jalap. Mercurii dulc. ãã dr. ſ. Elix. propr. rh. qſ. M. F. Pillulæ gr. iij. auro obducantur. D. S. Pillulæ alvum ducentes quarta quavis veſpera ad N°. VII. ſumendæ. Sumſus, & mane alvus blande ſine ulla moleſtia aut virium decremento ter, quaterve cum propulſione ſordium ſeroſarum fat copioſa, mota eſt.

Rec. Rad. Valerian. ſylv. Pimpin. alb. Sarſaparill. Scorzoner. Fœnic. Bardanæ ãã unc. ſ. Herb. Meliſſ. Scord. Heder. terr. Millef. c. ſummit. ãa Mj. Fol. Roriſm. unc. j. ſ. Flor. Lavend. p. ij. Cort. citri & Sem. Aniſi ãã unc. ſ. c. c. M. D. S. ſpecies pro infuſo quovis mane & poſt meridiem hora quinta ad vaſcula tria quatuorve, ſorbillando. Radices ſeorſim dentur; & ſemper ante infuſionem herbarum parum coquantur.

Rec. Eſſ. Abſinth. comp. unc. j. Træ. antim Tart. Sp. ſal. amm. aniſat. ãã unc. ſ. M. D. S. Sumat mane cum infuſo guttas 50: poſt prandium cum vino aut ſaccharo guttas 60.

Rec. Rad. Irid. Florent dr. iij. ſem. Aniſi Succin. alb. pp. Lapp. cancr. pp. Bezoard miner. ãã dr. ij. Salis. fix. abſinth. dr. j. M. F. pulv. ad dr. ſ. quavis veſpera ante cubitum ſumendus. Hunc primis quinque diebus ſumpſit. Verum poſtea, ut fibris & ſanguini majus robur ope hujus quoque conciliaretur, adjecta ſunt ſequentia. Rad. Zedoar. ſalis polychreſt. ãã dr. ij. Limat. mart. ſubtiliſſ. parum rubiginoſæ dr. iv. ſ. M. f. pulv.

Ad cibos condiendos. Rec. ſem. Fœnic. Aniſi. Cubebar. ãã dr. j. Fol. Euphras. Majoran ãã dr. ſ. Macis, Cinam. ãã dr. j. ſalis amm. unc. j. ſ. M. F. Tragea. Si quando ſanguis aliquam ebullitionum facit, tunc aut hac aut præcedente mixtura abſtineat.

Denique ut humores ſuperflui & vitioſi per ſalivam quoque atque pituitam narium (quod parciſſime excernitur) a capite aliquatenus revellerentur, hunc in finem intimavit, ut radicem Pyrethri jejune ſæpius maſticaret, & pulvere, aut ſaltem Tabaci generoſi ſternutatorio uteretur. Interim, ut Aq. Regin. Hung. tempora & palpebras frequenter ablueret, ita ut ex hac oculis quoque tantillum influeret: præterea, ut aut hanc aut ſal. volat. oleos. naribus identidem admoveret) quo ſic organa lacrymas & pituitam plorantia verum nunc officio parum ſtrenue fungentia magis excitarentur) confuluit.

Dum Illuſtriſſima patiens ſpecificatis his remediis, præter frictiones & balnea pedum, tragean ad cibos condiendos, pulverem ſternutatorium, per 4. aut 5. hebdomadas diligenter uteretur, intra paucos dies cepit menti & corpori major vigor infundi; ſomnus factus eſt placidus; appetitus bonus, nauſeæ & vomitus ceſſarunt, ſpaſmodica gulæ conſtrictio non amplius rediit; ventriculus & hypochondria, prout & caput, rarius & minus doluere, reſpiratio evaſit levior; corpus cepit carne repleri, & cutis rubore ſuffundi neque oculi

tam frequenter obnubilabantur. Ut oculi ad repellendos humores plus roboris acquirerent facculus ſeq. pro nocte aliquoties imponebatur. Rec. Herb. Euphraſ. & flor. roſ. rubr. p. 2. ſem. fœnic. p. 1. M. verum ſemel aqua Euphraſiæ per errorem facculus juſto magis humefactus oculo dextro impoſitus viſum in eo effecerat hebetiorem. Ceterum viſus paulo quidem eſt auctior; quam fuerat olim; ſed adhuc manſit adeo obtuſus & debilis, ut de eo Illuſtriſſima multum conqueratur.

Cogitatum quoque erat de veſicatorio & empl. de melil. unc. j. & pulv. cantharid dr. j. nuchæ applicando & per aliquod tempus geſtando. Non ſecus de ſternutatorio ad mentem H. *Boerhaavii* & ſacchari albi gr. x. merc. dulc. gr. 1. exacte mixtis & in x. doſes diviſis, parato, ut unum quovis mane naribus hauriret: aut alio aliqao idoneo: Verum, reformidante, imprimis veſicatorium (quoniam unus ex medicis certo futuram cœcitatem ex hoc ei prædixerat) Illuſtriſſima Domina, hactenus utrumque dilatum eſt.

Poſtquam præſcriptæ curæ 4, & 5. hebdomadas dicto modo inſumpſiſſet, novilunium acceſſit, & catamenia parcius quam antea conſueverant, fluxere: ſine ulla ceterum ſanitatis mutatione. Tum a menſe integro medicina caſuit omni, propter quartanam febrem, cujus

octa-

octavum paroxyſmum præſtloatur. Sub æſtu illius pulv. Halenſi rubro & bezoardico utitur.

Samuel Baligha, Med. Doct.

Stephanus Margus, Med. Doct.

D. Jacobus Hutter, Senat. Civ. Cibir.

98.

CALDANUS.

LEgebam Zinnium de oculo, & obſervationes tuas poſtremas. Vide quæſo an partium nomina confundo. Juxta Zinnium, corpus ciliare eſt illa pars choroidis, quæ incipit in ſtrias contrahi, & deducitur ad lentem uſque, cui non affigitur, ſed accumbit in formam zonulæ. Choroides arcte adhæret ad confinia ſcleroticæ & corneæ. Ubi vero adhæſionem facit annulum deſcribit, qui dicitur orbiculus ciliaris, ſeu zona ciliaris, niſi ego fallor. Plicæ albæ, quas creat choroides cum contrahitur, dicuntur proceſſus ciliares. Corona vero ciliaris eſt peculiaris membranula orta a vitrea circa medium, & progrediens ſub retina ſcandit partem gibbam vitrei, ut ſeſe affigat, in formam zonulæ ipſi lenti. Inter hanc & limbum lentis eſt annulus Petitianus. Quæſo an in adhæſione hujus coronæ ad centrum, ubi zonulam

nulam format, ibi dicenda ſit zona ciliaris, non vero ea, quam paulo ante deſcripſi, & dixi adhærere confiniis ſcleroticæ cum cornea.

Gratias ſummas ago de methodo injectionum. Hac methodo utar, & habebis quid contigerit, ut errores emendare poſſis. Cum publicam anatomen tradidero, quod menſe proximo fiet, reſpondebo D. Le Cat. Verum opus eſt, ut mittas ejus Phyſiologiam, nonnullis abhinc annis impreſſam; ibi enim vult meninges ſentire, & oſcillare, cerebrum vero inſenſile eſſe juxta mentem Pacchioni atque Baglivii. Exorat amicus Fontana, qui nunc Romæ eſt, ut mihi inſcribas exemplaria ejus epiſtolæ, atque ea omnia, quæ ad eum mittere placet. Potes ſic inſcripta ad Somiſium mittere.

Dabam Bononiæ d. 11. Dec. 1759.

99.

DE LA CHENAL.

PRo plantis, quas miſiſti, ſummas Tibi refero gratias. Plurimæ ex illis nondum inter meas erant, ad centum fere & ultra. Eo gratiores ſunt, quod maxima ex parte Helveticæ ſint imprimis alpinæ. Sequentes duas ex iis in autoribus non reperio 1°. Thyſſelinum latifolium. An Selinum 2. Enum. Helv. an 3tium? ſed hoc anguſtifolium vocant. 2°. Viſcaginem alpi-

alpinam petalis quadrifidis, quæ ad Saponarias videtur pertinere.

Inſpiciendam nuper miſit Cl. Reſpingerus pulcherrimam Tuam Orchidei generis elaborationem, & ut mendarum typographicarum correctionem in me ſuſciperem rogavit, quod lubentiſſime faciam. Cum impreſſio ejus ob alia, quas typographus ſub manibus nunc habet, negotia non niſi initio inſequentis anni incipietur, ſi quid adhuc monendum haberes, commode facere poteris.

Trifolium ex Linnæo nominavi, quod non aliud tunc nomen conſtabat. Sed videtur plane mihi eſſe Melilotus Pariienſis humifuſa; foliis ſerratis glabris Vaill. Par. Tab. XXIt. fig. 1. Icon certe apprime convenit, & dolendum, quod in textu omiſſum ſit. Deſcriptionem ejus aliqualem actis Helv. inferam, unice ut Botanicis accuratius in hanc plantam inquirendi anſam præbeam. Valde mihi vicinum videtur Trifolio repenti albo,

Quod ad Siſymbrium Tuum Erucæ folio aſpero flore luteo attinet, id quidem, Vir Illuſtriſſime minime diverſum mihi videtur ab eo, quod heic vulgatiſſimum eſt. Eadem eſt in utroque, calycis ſtructura, eadem florum & ſiliquarum. Folia quidem amplitudine & pinnarum figura aliquatenus recedunt, ſed magnitudo foliorum etiam noſtris in ſpeciminibus valde diverſa eſt, nunc major nunc minor, mox pinnæ regulares & concinnæ, mox variæ & irregulares

Flo-

Florum colorem flavum in ſtirpibus in agris Neudorfenſibus creſcentibus ſæpiſſime obſervavi, ut omnino a ſoli pinguedine ortum trahere videatur, cum ſpecimina in arenoſis fluviorum littoribus lecta, tantum non ſemper pallidis floribus inſtructa ſint.

Perhonorificum diſſertationis meæ in Nov. Litterar Götting. recenſionem maximopere me Tibi obſtrinxiſti. Differentiæ inter Alyſſon & Siſymbria paluſtria brevibus ſiliquis certiores & evidentiores notas in Act. Helv. tradere annitar. Salix, cujus characterem dedi, utique eſt Salix folio tenuiore fragilis J. B.

Vale Vir Illuſtriſſime & favere perge.

Dabam Baſil. d. 22. Dec. 1759.

100.

CASPAR FRIDERICUS WOLF.

AUdeo Tibi mittere meam diſſertationem inauguralem, theoriam generationis exponentem; licet enim Te ſummum harum rerum judicem & acutiſſimum habeam, ſingularis tamen Tua humanitas, qua etiam eorum labores ſuſcipis, qui aliquid præſtare ſincere ſaltem conantur. ſperare ſimul me jubet, fore, ut & meis conatibus æqui bonique conſulas.

Neque hoc me terret, Vir perilluſtris, quod contrariam meæ theoriæ ſententiam perilluſtri

Tuo

Tuo nomine atque auctoritate nuper dignatus fueris; non ſolum enim de ſincero illo amore, quo veritatem, quam tetigiſſe credo, proſequeris, & quem totus eruditorum orbis in Te veneratur, perſuaſus fui dudum; verum nec ita ſe habent ea, quæ in acceptiſſimis experimentis, circa ova incubata inſtitutis, propoſita ſunt, ut omnem ſpem de veritate meæ theoriæ, quæ, cum primum experimenta legerem, abſoluta fere erat, abjicere debuiſſem. Itæ nimirum Vir perilluſtris, verba Tua audiunt, Part. II. p. 172. Je propoſe l'opinion contraire; qui *commence* a me *paroître* la plus probable. Le poulet m'a fourni des raiſons en faveur du développement, Quid igitur obſtat, quo minus perfecerim meum opuſculum, & ſubmittam id nunc, tanquam rationes, pro altera parte pugnantes, iterum perſpicaciſſimo Tuo judicio?

Si hac qualicunque mea elaboratione aliquomodo Tibi, Vir perilluſtris, placere poſſem; & ſatis me felicem exiſtimarem, & ſecurus tunc eſſem de reliquorum approbatione; Tuum enim ſolidiſſimum judicium inſtar omnium mihi fuit hactenus, & ſemper mihi erit. Si erraverim aut Tuo ingenio haud ſatisfecerim, Tua correctione, quomodocunque hanc inſtituere Tibi placeat, noli me dedignari; quin potius ut iſto favore, cui omnes Tuos diſcipulos commendatos habere ſoles, etiam me gaudere concedas, enixe Te rogem.

Ego per omnem vitam deditiſſimus Tibi ero.

Berolini d. 23. Dec. 1759.

101.

CALDANUS.

ACcepi a communi amico Somisio partem librorum, quos perhumanirer misisti. Neque enim Gallus Tabellarius omnia secum afferre poterat. Quæ attulit huc spectant. Nempe Tom. II. Physiologiæ: Tom. de irritabilitate, collect. Lausannensis. Præfationem contra Buffonium. Epistolam Meckelii de vasis lymphaticis, & de glandulis conglobatis; & dissertationem Sprœgelii pro Cl. Algarotto. Pollicitus est ipse Algarottus Meckelio scribere, ut dissertationem mittat de quinto pari nervorum: quare ne sis quæso, de hac re sollicitus.

Satis recte intellexi, quæ doces egregie de zona ciliari. Error irrepsit, quia Zinnii opus Florentiæ nam est apud Cocchii filium, qui ut illud opus commodarem, semel atque iterum exoravit, pollicitus reddere ad herum suum. Ipse Cocchius instituit experimenta de insensitivitate; sed quoniam errores in experiendo irrepserunt, ex me quærit hodie methodum exactissimam & tutissimam.

Somisio scribo ut curet physiologiam Cl. Le Catii, atque, ut spero, ad me perveniet. Die Jovis proxime elapso cathedram conscendi, ut de anatome publice disputarem. Resonat theatrum omna, singulo die, Halleri præstantissimi nomen. Plurima argumenta publice adtulerunt

runt Laghius, Balbus aliqua, qui Bononiæ contra me pugnant; ſed adhuc, ut ſpero, rationes pro me ſtant, & ſimul experimenta, ſic auditores omnes manibus pedibuſque plaudentes, veritatem amantes, Te habeant ducem, & protectorem.

Injectiones in renes factæ repleverunt ſubſtantiam renum corticalem, pyramides, pupillas, & tubulos in pelvim deſinentes. In ipſam cerebri ſubſtantiam corticalem vaſcula quædam injecta viam demonſtraverunt vaſorum ipſæ ſubſtantiæ componentium, cum univerſum caput ceracea materia replerem. Solutus ab anatome ad injectiones redibo. Tu interim vale, Vir præſtantiſſime, & fave homini, qui Te ſincere amat & ex corde; neque minus colit ac veneratur.

Bonon. d. 15. Januar. 1760.

102.

CALDANUS.

COmplevi Anatomen publicam, in qua diſputatum eſt de ſententiis Tuis, ut dici ſolet, uſque ad mortem. Quo ſucceſſu id evenerit, & quomodo adverſariorum difficultatibus reſponderim, meum non eſt definire. Epiſtola ad *le Cat* quam nunc ſcribo, adverſarios ad verum depinget, & reſponſiones publice datas ite-

iterum publicas, mediis typis faciam. Utinam ſileant qui contradicunt abſque eo, quod vel pericula fecerint, vel quid in rem noſtram legerint.

Legi diſſertationem Cl. Sprœgelii, de qua ſummas refert gratias amicus Algarottus, & qui adjungit epiſtolam, conſcriptam forte ut gratias ipſe reddat, ob id etiam quod in Tom. IV. collection. de irritabilit. quid tribuis auctoritati tanti amici. Legi inquam Sprœgelii diſſertationem, quæ valde mihi placuit: doleo tantum, quod diſcipuli Tui, Vir Clariſſime, dicant interdum nervos eſſe irritabiles, quandoque autem irritabilitatem cum ſenſitivitate confundunt. Hæc atque alia faciunt, ut in nova Tua ſententia adverſarii quid inveniant, quod opponant. Lætor tamen Te virum præſtantiſſimum, ſatis aperte mentem Tuam declaraſſe; atque hoc ſatis eſt, ut ſententiam Tuam tueamur. Legi inſuper præfationem ad Buffonum, quæ certe organicarum particularum ſyſtema penitus evertit. Hoc erat a ſummo Halleri ingenio, utque ab ejus doctrina ſumma certiſſime expectandum, & eventus expectationi profecto par fuit. Vale Phyſicorum decus, & ama Tui devinctiſſimum.

Dabam Bononiæ die 11. Februarii 1760.

103.

DE LA CHENAL.

CUm ab amiciſſ. Miegio acceperin, Alyſſum Allionii novam Tibi, Vir Illuſtriſſime, nunc videri eſſe plantæ ſpeciem; quales de illa Tuæ ſint cogitationes ſcire valdopere deſiderarem, antequam deſcriptionem ejus actis Helv. inſeram. A Siſymbriis certe aquaticis, quæ raphani aquatici veteribus audiunt, manifeſto mihi differre videtur caule erecto, foliis tenuiſſime diviſis, pinnulis integris, ſucculentis, ſiliquis demum fere inanibus pauciſſimis certe ſeminibus fœtis; loco demum natali, habitu toto &c. Sed & Raphanus aquaticus foliis in profundas lacinias diviſis C. B. qualis quidem heic vulgaris eſt, (alium enim non novi) a Raphano aquatico altero C. B. vere diverſus eſt, caule infirme minime repente, flore calyce minore, minimo, qualem Vaillantius optime deſcribit ſub nomine Siſymbrii paluſtris repentis parvo flore. Bot. p. 186. pro nova planta. Sed pluribus importunus Tibi eſſe nolo.

Dabam Baſil. d. 20. Febr. 1760,

104.

CALDANUS.

ADverſarios meos in patria ut ſpero, ſuperavi, certe ſi non omnes ſaltem plurimos. Doleo tamen quum lego amicos noſtros nonnulla interdum proferre, quæ non videntur firmo ſtare talo. Ill. D. Houſſet, poſtquam dixit cutim eſſe ſemper & perpetuo ſenſilem in ſummo gradu, in progreſſu de tanta ſenſilitate aperte dubitat. Meditullium ſenſile, ut mihi videtur, facit ſemper. Inteſtina moveri magis intra corpus quam extra pro tuto ſtatuit. Id tamen eſt contra obſervationem. Caſus nonnulli poſſunt aliquando imponere, & certe mihi ipſi impoſuiſſent niſi pluries id viderim. Etiam poſtremis diebus hiſce, in vitulis duobus id obſervavi, nempe inteſtina magis agitari mortuo animali quam viventi, & adverſarius meus Vandellius in ſecunda epiſtola idem aſſerere coactus fuit. Hæc atque alia adverſariorum animos dubitantes faciunt, & amicis noſtris opus eſſet omnia legere quæ, ſcripta fuerunt, ne in contradictiones inter nos incidamus.

Lætor de præclariſſimis obſervatis Tuis in cerebro avium. Prodibunt ut ſpero in immortali Tua phyſiologia.

Doleo de difficultate in obtinendis exemplaribus pro amico Fontana. Ille Te veneratur & amat, Vir ſatis eſt doctus ac promptus; atque

ut

ut mihi videtur, in ratiocinando ſubtilis. Fere ſemper ægrotat ex colica, & tamen ægrotus fere ſemper anatomicis meis ſectionibus perpetuo interfuit cum Bononiæ eſſet, & didicit.

Vale Vir ſumme & me ut ſoles ama.

Bonon. die 1760.

105.

MORGAGNUS.

QUas ante finem Octobris litteras perbenigne ad me dederas, Illuſtris Hallere, illas quidem juſto tempore accepi, ſed quæ Tigurum jam tum abs Te miſſa pro me eſſe, ſignificabas, ea vero cum intra unum, aut alterum, aut ſequentem deinceps menſem expectarentur, ut continuo reſcriberem me accepiſſe, non ante heſternum denique diem ad meas pervenerunt manus. Itaque ſtatim certiorem te facio, intactum hac vice faſciculum accepiſſe, & quas par eſt, maximas videlicet gratias ago liberalitati erga me Tuæ, & benevolentiæ inſuper, quam amica Tua de mea valetudine ſolicitudo illis iiſdem litteris teſtabatur. Quid quæris? Deus me O. M, incolumem adhuc, & parum conſuetum laboribus ſervat; ut quæ reſtant de ſuſcepto opere deſcribenda, intra hunc fortaſſe annum me deſcripturum non deſperem. Inte-

rea gratulor Tibi, & noſtræ facultati, quod phyſiologiæ Tuæ laudata volumina in annos ſingulos creſcant & quod receſſus iſte Tuam alat valetudinem ſecuram odii, in quod indicabas Te immerito incidiſſe; conſcientia fretum, ut ſapientem hominem decet, ſervati officii ornando amicos, non modo nihil de eorum laudtbus detrahendo. Quod reliquum eſt, quædam interea apud nos edita, quorum noviſſimum propediem habebo, tanto libentius, citiuſque ad Te mittam, quod cum iis duæ erunt Jani Planci obſignatæ epiſtolæ, quas ipſi dudum pollicitus ſum in meo primo ad Te faſciculo me incluſurum. Deus Te, Illuſtris Hallere, & Tuæ, & medicæ reipublicæ, quarum utramque ſtrenue juves, quam diutiſſime conſervet.

D. Patavii 26. Martii die 1760.

106.

DE LA CHENAL.

NUper duas Ornithogali lutei ſpecies reperi vere diverſas, quarum prima unicum ex bulbo folium proferebat ad ſemi pedem & integrum longum, a 4. lineis ad ſemi pollicem latum obtuſum. Scapus folio radicali multo brevior diphyllus erit, foliis paulo quam radicale, anguſtioribus, brevioribus, acutis, valde inæqualibus ſubhirſutis; umbella florum ſimplex

ex

ex 3. ad 6. & 8. floribus uſque conſtans. Pedunculi ſubhirſuti, valde inæquales; petala elliptica obtuſa. In altera ſpecie duo ex radice prodibant folia longiſſima, anguſtiſſima, vix ultra lineam lata, ſemitriquetra, carinata, Scapus humilior præcedenti. Umbella plus minus, ſemper tamen ramoſa. Folia pedunculis ſubjecta radicalibus duplo & triplo latiora, itidem inæqualia. Pedunculi villoſi inæquales. Petala lanceolato-linearia, acutiſſima, extus ſubhirſuta. Tota planta hirſutior eſt præcedenti. Addi poteſt locus natalis, cum hanc nonniſi in ſegetibus legerim verſus Holée, circa Gundeldingen inter Muttenz & Prattelen, illam vero in ſylvula, quæ Wieſam inter & Neuhaus jacet, nec non ſylvam trans pontem Wieſæ ſub arboribus cum Ranunculo nemoroſo luteo repererim. Speciem ramoſam etiam cum bulbillis in foliorum alis legi. In eadem ſpecie (uti jam annotavit Dillenius) non raro numerus petalorum, ſtaminum &c. duplus eſt, nonnunquam 8. adſunt petala, totidem ſtamina, fructus tetragonus, tubæ tetragonæ, ſtigmaque quadrifidum. Hæc omnia ſatis ſuperque ſufficere mihi videntur ad haſce plantas ſpecie diſtinguendas, cum conſtantiſſimæ ſint hæ differentiæ. uti in pluſquam 100. ſpeciminibus vidi.

Galium montan. altiſſimum, foliis anguſtis &c. Rupp. frequentiſſimum eſt in agris noſtris onobrychide conſitis, verſus Mœnchenſtein, Gundeldingen, *auf dem Birsfeld &c.* in catalogo, tibi olim tranſmiſſo, ni fallor, omiſi. Plantas,

quas dudum jam, ut hoc vere Tibi, Vir Illuſtriſſime tranſmittam, deſideraſti, an recentes an ſiccas intelligis? Tithymalus myrſinites fructu verrucoſo vulgatiſſimus heic brevi florebit, nec non alius multo rarior, Tithymalus nempe Enum. Helv. quam magna copia, ſed flore jam delapſo, prægreſſo autumno legi in lapidoſis & ſterilibus agris ad Rhenum in Klein Hüningen, eodem fere loco, ubi J. Bauh. ſuum olim legerat. Alſinem vernam glabram nondum reperire potui. Tithymalus myrſinites, uti ex ſpeciminibus brevi tranſmittendis videbis, abunde differt & ab Arvenſi German. & a montano non acri.

Dabam Baſilea d. 12. Aprilis 1760.

107.

JOHANNES GESNERUS.

NUper anomalam admodum vaſorum infantis recens nati conformationem profector anatomes D. Burckardus mihi examinandam exhibuit. Arteria pulmonalis ad pulmones nonniſi parvum ramum emittebat, ipſa vero in aortam deſcendentem tota mutata eſt, in exortu ex corde recepit ductum, ex ſinu venoſo dextro infra aortam decurrentem. Ipſa aorta anguſtior nonniſi tres ramos aſcendentes emittebat ſub claviam & carotidem ſiniſtras, itemque innomina-

natum truncum. Ab arteriæ ſubclaviæ ſiniſtræ trunco canalis arterioſus ad pulmonalem (quæ hic aorta deſcendens erat) ferebatur. Ratio inſolitæ ſtructuræ forte non difficulter in nimia ad pulmones reſiſtentia invenitur. Dolebam vero mihi copiam totum cadaver examinandi defuiſſe. Accuratam vero cordis & ejus vaſorum delineationem fieri curavi, quam ſi velis, lubens communicabo.

Vale Vir Illuſtris & amiciſſime, ac me ut ſoles amare perge.

Turici ad d. 25. Apr. MDCCLX.

108.

BERDOT FILIUS,

ADverſa quæ parentes ſororemque per aliquot menſes preſſit valetudo, quominus in plantis vernalibus legendis frequentior forem, hactenus impedimento fuit, ut paucæ ſint quas habeo novas.

1. Helleborus hyemalis Linn, copioſe contre la haye des champs au-deſſus du cimetière des Peſtiferès. Planta hæc a nemine ibi colitur vel culta fuiſſe videtur, ut pro indigena haberi poſſit.

2. Anblatum Cordi copioſe in montis Bard umbroſis.

3. Myoſurus inter ſegetes ad pagum Dannemariæ, Alſatiæ ſuperioris inter Montbelgardum & Mulhuſiam.

4, Cornus mas in ſylvis circa Mandeure ait. Montb. copioſa.

Si deſunt quæ ſcribam botanica, non injucunda fore obſervata quædam anatomica practica duco. Hydrocephalus eſt internus, ſaccatus, iſque triennis in puero octenni menſe proxime elapſo, demortuo.

Brevis Hiſtoria morbi.

Quinquennis puerulus grandiori a natura donatus capite, corporeque paulo minus pro ætate agili & expedito, animo autem promptiori, ſcabie capitis ulceroſa ab aliquot hebdomadibus laborabat. Hæc ab ancilla inungitur ita, ut ſubito fere retropulſa fuerit. Abinde dolere cœpit caput, moleque ſenſim augeri doloribus rarioribus factis, illibata facie. In dies motus incapaciores facti artus inferiores, tandem immobiles, ſenſu tamen præditi, aliquantum cum ipſo pene ſemper rigebant. Superiores artus, motus paulo tenaciores, tandem aliqua paralyſis, non ſine ſenſu affecit. Alvus tardeſcere cœpit, clyſteribus & mitioribus laxantibus vix ſolvenda, fortioribus tandem ægerrime reſpondens, ſubinde tamen incocta, dura ſubinde ſcybala inſcio, ut plurimum, ſub finem præſertim exonerabantur ægrotulo. Urina matulam primis annis requirebat, ultimo

autem

autem non conſcio mingebatur puerulo. Loquela tardior ſenſim fiebat, ut maximum tandem & ingratum inter quamlibet ſyllabam intercederet intervallum.

Appetitus per totum morbum vegetus, ſæpe urgens. Reſpiratio pulſuſque integri manſerunt. Interni externique ſenſus hactenus acutiſſimi omnes.

Elapſis autem, a primo ut videtur inſultu, menſibus circiter XVIII. lumine orbus factus eſt dexter oculus, ſiniſtro, aliquot poſt menſibus in mali conſortium tracto, pupillis mirum dilatatis: ut cœcus decumberet ſupinus, immotus, & aliquantum rigidus puerulus, animo ad mortem uſque hilari & jocoſo, ceteriſmque ſenſibus integerrimis. Grandeſcebat interim caput, ſenſimque dehiſcebant futuræ, ſagittalis ad naſum deſcendens, coronalis, lambdoidea, recedebantque aliquantum a parietalibus oſſa temporum. Premens futurarum intermedia digitus nullum movebat dolorem, nullam percipiebat fluctuationem, mollitiem aliquam, ceterum dura & renitentia in externo capite omnia. Mors tandem ultimo menſe Aprili vitæ finem fecit, elapſis jam a primo inſultu tribus, & quod excurrit, annis. Nihil per totum morbi decurſum, puerulum excruciavit, præter inſignes ſubinde capitis dolores. ſpaſtica aliqua artuum rigiditate in conſenſum ducta (a futurarum forte dehiſcentia). Ultimo vitæ anno lipothymiæ aliquot, pulſu non percipiendo,

do, respiratione vix sensibili, artubus frigidis, mortis simulacra dederunt.

Nil varia profuerunt, in usum, sed serius vocata remedia interna externave, aperientia varii generis, laxantia, hydragoga, cephalica, volatilia, setacea, fomenta, cucuphæ &c, Calvariæ terebratio nimis anceps visa est auxilium, sola quæ vitæ finem fecit mors, miseriis clausulam imposuit.

Observat. anatomic. XII. incirca post mortem horis.

1. Statura pueri erat 3. pedum Parisinorum.

2. Capitis peripheria, ducto nimirum filo a regione supraorbitali posteriora versus paulo supra occiput, erat 24. pollicum.

3. Ab una aure ad alteram aurem, ducto supra verticem filo, pollices erant 17. lin. 2. Denudato cranio, in conspectum venerunt

4. Sutura sagittalis ad nasum descendens, & coronalis. Utrarumque dehiscentia erat 2. pollicum, minor erat lambdoideæ. Cartilago ossium marginibus intermedia erat, jam ossescens, denticulisque futurarum admodum prolongatis & tenuibus, utrique firmiter adnexa.

5. Maxima ossium parietalium & frontis crassities duabus lineis æqualis, sed occipitis, linea non major erat.

6. Dura mater cartilaginibus ossa futurarum loco jungentibus firmius adhærebat, cerebro ut vulgo solet superducta,

7.

7. Piæ matris loco meræ fibræ aderant duriores, in pectinis modum hinc inde cerebro ſuperſtratæ.

8. Cerebrum, primo intuitu, nihil præter naturam, ſi molem exceperis & lobos indiſtinctos, præ ſe ferebat, ſed quicquid de ipſo erat, in molliſſimam pultem albidam, diffluentem reſolutum erat, ita quidem ut quid cortex cerebri, quid proprie ſic dicta ejus ſubſtantia fuerit, dici vix potuiſſet. Adeo tenuis erat hæcce cerebralis maſſa, ut maxima ejus craſſities tribus lineis major non fuerit Pondus unc. xxxviij. æquale.

9. Digiti apice diviſa puls iſta cerebralis, apparuit veſica vel & ſaccus turgidns, anterius duræ matri baſi calvariæ ſuperdata, orbitis nempe & ſellæ equinæ incumbens, poſterius tentorio cerebelli. Saccus hicce a cerebrali pulte iſta, quaſi a cortice, ſuperne & a lateribus eximis involvebatur; aperto ſacco effluxerunt aquæ limpidæ ſubglutinoſæ lb. ix. unc. ij. ſacci parietes craſſitie duræ matri non multum cedebant.

10. Sub hocce ſacco conſpicui erant nervi optici, pro parte, ſed toti diffluentes, complanati, cerebro molliores. ne cremoris quidem conſiſtentia induti.

In ceteras cerebri partes, medullam oblongatam &c. inquirere per diffluentem cerebri mollitiem non licuit. Puls erat tota maſſa cerebralis, tres lineas craſſa, ſaccum aqua turgentem corticis inſtar recludens.

Ce-

Cerebellum.

11. Dexter cerebelli lobus, ſcirrho non minus durum erat. ſaccus tamen erat, ſteatomatis inſtar, aderat nimirum involucrum fere corneum, lineam craſſum, in quo materies ſpiſſa teræ inſtar argillaceæ, cerebelli corticem colore referens, occludebatur. Lobus iſte ponderis erat unc. vj. ſ.

12. Siniſtri lobi præcedenti multo minoris aliquam, ſed eam minimam partem efficiebat, pulticula cerebri ſubſtantiæ ſatis ſimilis, quod vero reliquum & majus erat, ſimile lobo dextro fuit. Totius autem lobi pondus unc. ij. majus non fuit.

Quid cum medulla ſpinali actum fuerit, per parentum &c. luctum perſcrutari non licuit. Sed eandem peſſime etiam habuiſſe in tanta cerebri exundantione ejus & cerebelli &c. depravata conſiſtentia videtur.

Qui tamdiu cum tanta cerebri cerebelli &c. labe, vitam ſenſibus illibatis trahere potuerit puerulum? ægre dicitur: plurimum feciſſe videntur, molliora adhucdum oſſa & cedentes futuræ.

Qui vitalitatis origo a cerebello, cum tanta ejus induratione &c. conſiſtere poteſt? ſola fere animalitas ut ita dicam, labefactata fuit.

An abſque irritabilitate, cordis motus in tanta originis nervorum labe ſoſpes & incolumis ſupereſſe potuiſſet?

Indu-

Induratum primo cerebellum hydropi forte anſam dedit.

Ne male habeas, Vir excellentiſſime, ſi nonnulla addam de ingenti adipis mole in Satrapa noſtro ante aliquot menſes morbo acuto demortuo. Vix aliquantum movebat corpus quin inſtare videretur ſuffocatio, ſtans, ſedens, inter cibos, & amicos, ut plurimum dormitabat cum moleſtiſſimo roncho. Abdominis poſt mortem menſura capta 5. cum ſemis pedum erat, ſub cute adeps, hinc 3. hinc. 4. tranverſorum digitorum craſſitiem habuit: abdominales muſculi tenuiſſimi. Omentum 3. fere tranſverſos digitos craſſum. Hepar ingentis molis, parcam bilem habebat, veſicula fellis concrementa vero aliquot biliosa. Ventriculus miræ capicitatis. Coli adipoſæ appendices ovo non multo minores erant pleræque. Renum molliſſimæ; carni ingens vis adipis undique incumbebat, ut non ſine moleſtia oculis c pi potuerint. Tumidum ponderoſiſſimumque lienem infarciebat ſanguis ater, ſpiſſus, pultis ad inſtar. Parciſſimus in totius corporis vaſis aderat ſanguis, iſque ſpiſſus, atram pultem referebat. Paricardium præ adipe pollicem craſſum erat. Pulmones atrofuſci ſanguine farti. Mediaſtinum, maxime ſuperius 2 pollic. craſſitie æquale. Baſin cordis ingens tegebat vis adipis, ſimilis aortam, venam cavam, vaſaque pulmonalia & aſperam arteriam involvebat. Caro cordis mollis admodum, ejuſque ventriculi atro grumoſo ſanguine referti, Crurum menſura ad ſuras inſtituta,

2. & ſemi pedum erat. Sub cute 2. pollic. adeps non minor erat. Ætas nobiliſſimi Viri erat annor: 35.

Vale Vir Illuſtriſſime, excellentiſſime & favere perge.

Scribebam Montbelgardi d. 16. Maij 1760.

109.

DE LA CHENAL.

QUam mihi offers pecuniæ ſummam, ſufficiens omnino mihi videtur, imprimis cum præter neceſſarium haud quidquam deſiderem, ut ab hac parte iter ne minimum quidem difficultatis patiatur. Sed aliæ mihi ſunt rationes æque non debiles, quæ ſupplicem Te rogare me cogunt, ut ſi quidem commode fieri poteſt, in ſequentem annum illud differre me permittas, quod eo facilius a Te impetraturum ſpero, cum ipſe Vir Illuſtriſſime, vel hoc vel etiam anno 1761. hocce iter ſuſcipiendum mihi propoſueris. Ne vero abſque neceſſitate huic itineri moram me interponere arbitreris, rationum maximam addam, vsletudinem nimirum a ſat longo jam tempore ſatis debilem, matris morte mihi triſtiſſima ita labefactatam, ut ad eam reſtituendam medicorum ſuaſu, aeris mutationem, uſumque aquarum medicatarum adhibere animus ſit, ita tamen, ut, quantum abſ-

que

que ulteriori ſanitatis detrimento fieri poterit, excurſibus in vicina loca inſtitutis, botanica ſtudia continuabo rem, & hoc quidem modo eatenus ſanitatem corpori meo reſtituere conabor, ut inſequenti anno eo alacrius alpinum iter ſuſcipere poſſim. Iterum igitur iterumque Te rogo, Vir celeberrime, ut in ſequentem annum iter prorogare me patiaris, cum, ut verum fatear, ægerrime ferrem, ſi alii hoc munus conferres, & hanc quidem permiſſionem pro ſummæ erga me Tuæ benevolentiæ teſtimonio gratiſſimus agnoſcam.

Ornithogala vere mihi differre videntur. Sed quam difficillimum ſæpe eſt, ſpecies a varietatibus ſeparare.

Tithymalus, quem myrſinitem fructu verrucoſo eſſe puto, ubique nunc floret; per ceſpites naſcitur, innumeris ſæpe ex una nadice prodeuntibus caulibus: folia hirſuta, glauca, elliptica, obtuſa, minute ſerrata. Umbella primo quinquefida, dein trifida & tandem dichotoma; involucrum primum quinque folium, foliis ovato - lanceolatis obtuſis. Secundum triphyllum, foliis obovatis, baſi anguſti. Tertium bifolium, foliis ſimilibus. Petala tranſverſim elliptica lutea, uti tota umbella cum ſuis involueris flava eſt. Caulis præterea ex quavis fere folii ala ramoſus eſt.

Ab hoc vere differt Tithymalus montanus non acris C. B. foliis minus hirſutis, caulibus ſimpliciſſimis, minimeque per ceſpites naſcentibus. Umbella quinquefida & dichotoma, mi-

nime

nime vero trifida, petalis orbiculato reniformibus, obsolete rufescentibus, ad basin purpureis. Involucris partialibus cordatis, magnis, basi latissima, umbella tota viridi.

Sed aliam etiam Tithymali speciem legi in agris sterilibus ad Rhenum infra Klein Huningen, maxima copia. Caules ex una radice lignosa perenni plurimi pedales &c. erecti. Folia numerosa, alterna, lineari lanceolata, in brevem spinulam terminata, valde glauca, integerrima, glabra, in inferiore caulis parte angustissima, sensim latiora fiunt, ut tandem superne ad 2. & 3. lineas latescant, & ovato lanceolata fiant. Brevia hæc sunt, vix ultra semi pollicem longa. Ea vero, quæ caules steriles æstate, ex radice prorumpentes, vestiunt, copiosissima sunt, duplo longiora, paulo angustiora. Umbella multifida, non ampla; involucris primariis ovato lanceolatis ad 8. & 10, foliis, secundariis vero cordatis. Et folia & involucra brevi spinula terminantur, ceterum mollia sunt, & semipatentia, vel etiam in ramis sterilibus retrorsum imbricata. Petala quasi truncata, minime bicornia, flava. Tubæ 3. vel 4. reflexæ. Fructus obtuse trigonus, levis. Tota umbella cum suis involucris, ex viridi flavescit. Caules plerumque simplices sunt, sterilibus exceptis, quibus haud raro unus alterve ramus est.

Veronicam procumbentem Riv. ubique fere in sylvosis umbrosis humidisque frequentem reperio.

Nupera

Nupera herbatione publica in prato paludoso ad Rhenum prope pagum Mert Polemonii unicum sed pulcherrimum legimus specimen. Rara planta, quam vix circa Basileam quæreres. In Insula Rheni multum erat Thalictri majoris, florum staminibus purpurascentibus C. B. Thalictri 7. Enum. Helv. Cum hanc plantam copiosissime etiam repererim ad rivulum retro novam domum, eodem loco, ubi C. Bauhinus Thalictrum majus siliqua angulosa & striata indicat, fere inducor ut credam, ultimum C. B. posterius synonymon ad primam plantam, Thalictrum nempe 7. Enum. debere referri. Legimus etiam in colle versus Wyl cum Ornithopodio &c. Phalangium non ramosum, & in agris lapidosis ibidem magnam vim Knawel perennis majori flore &c.

Copiosissimam etiam nuper legi Nissoliam, inter segetes montanas *auf der Rutihardt*, prope Muttenz, cum Lathyro sil. hirsuta, Aphaca, Lathyro arv. rep. tub. Sedo arvensi flore rubente aliisque. Sedum dictum nondum floret.

Vale Vir Illustrissime & fave.

Dabam Basileæ d. 20. Maij 1760.

P. S. Quo magis de itinere Alpino cogito; eo majus in me exoritur desiderium illud hac æstate adhuc suscipiendi, licet sanitas mea vix illud permittere videatur. Si tamen Vir, Illustrissime putes, absque ulteriori sanitatis detrimento me illud instituere posse, omni tem-

pore & die ad illud faciendum paratus ero. Affectibus vero imprimis hypochondriacis excrucior, ſuſpirio, vertigine &c. quæ forſan omnia hoc itinere melius, quam ullis aliis remediis debellare poſſem. Tuam de hiſce litteris ſententiam, ut quam primum poteris, perſcribas, etiam atque etiam rogo.

IIO.

CALDANUS.

NUnc Venetiis ſum; at ſub initio menſis proxime iterum ad . . . revertar, quam, ob ingratum in me animum, fere omnino reliqui; & parum abfuit, quin Venetiis domicilium quærerem praxi medicæ ſolummodo addictus.

Morgagnum Cl. bis vidi. Sanus eſt, & videtur potius iterum adoleſcere quam conſeneſcere. Quærebat ex me de valetudine Tua, Vir præſtantiſſime: cum iter ad patriam ſuſcepero denuo videbo eum; eaque occaſione quare Tecum ſileat ſciſcitabor. In opere ſuo conſcribendo adhuc laborat; neque tam cito laboribus ſuis finis erit, cum adhuc centum folia & amplius ſint conſcribenda, priuſquam prelo committatur. Forte ſilentii ratio hæc eſt. Te valde amat, & veneratur: ſed quamvis moneat in nota quæſtione de ſenſitiv. & irritab. ſe nihil velle definire, tamen in colloquiis novam ſen-

ſententiam parum ſibi placere ſi non aperte, certe, quantum ſatis eſt, non indubie fatetur. Ignoſcendum homini, cui dolet diu cum aliis in eadem navi fuiſſe; ægre tamen fero, quod quaſi adſtipuletur Taurinenſi Blanco, aperte moneat experimenta in animalibus inſtituta nihil probare, quoniam loqui neſciunt. Sed hæc nihil faciunt contra nos. Quamvis extra patriam ſim, tamen laboro in epiſtola contra le Cat, quam tamen complere adhuc non poſſum, niſi prius ex Geneva adveniat opuſculum ſuum, cui titulus *Traité des ſens*. Somiſius illud expectat ut ſtatim mittat.

In patriam reverſus pericula faciam de cerebri ſede, qua læſa convulſiones oriuntur.

Tu iterum vale præſtantiſſimorum hominum decus, & reipublicæ anatomicæ, medicæ, botanices ornamentum, & mihi ſemper ut ſoles, & obſecro, fave.

Dabam Venetiis die 24. Maij 1760.

III.

ACHILLES MIEG.

QUum pauca nova, quæ tua attentione digna viderentur, hactenus haberem, præterea-que ſcirem, Dn. De la Chenal Tibi omnia diligenter retuliſſe, quæ circa noſtras plantas noſcere Tua intereſt, malui differre litteras,

quam inanibus Tibi moleſtus eſſe, quem alioquin gravioribus rebus tempus deſtinaſſe ſcivi. Nunc vero, illo profecto, officia mea denuo offero, ſi etiam quoad plantas quædam Tibi præſtare poſſe videar: licet adeo promtam diligentiam vix pollicere poſſim, qualem in D. De la Chenal expertus es; quum, etiamſi voluntas minime deſit, alia negotia & practica in dies aucta, nunc plus, quam olim, temporis conſumant, ut tamen non plane nullum botanicæ ſuperſit, quam ſubciſivo tempore ſemper adhuc in deliciis habeo. Exequar itaque illa induſtria, quam circumſtantiæ permittent, ejuſmodi mandata, ſi quæ per amici abſentiam mihi dare Tibi placuerit. Ille nempe heri Montbelgardum profectus eſt, unde circa finem, ni fallor, Junii menſis, aut initio Julii, cum Dn. Chatelain, iter alpinum a Te præſcriptum aggredietur. Vix dici poteſt, quanto ille cum gaudio nuncium ab illuſtri Viro exceperit, de amico itineris ſocio ſibi adſumto; quod tantum effecit, ut hypochondriacas moleſtius ex mœrore nupera matris & aviæ morte accitas, non amplius metuat, quæ alias a tali itinere, ſi ſolus id ſuſcipere debuiſſet, ipſum pene abſterruiſſent. Virum ſane ad ejuſmodi propoſitum aptiorem eligere vix potuiſſes, quum neminem adhuc viderim, majori induſtria ne dicam furore, plantas perſequentem, cui non levis præterea eruditio juncta eſt, & in mandatis curandis ſincera induſtria; ut adeo non dubitem, quin tam obſervationibus exactis, quam ipſa-

ipſarum plantarum egregie ſiccatarum meſſe, plane Tibi ſit ſatisfacturus.

In loco, ubi C. B. indicat *Thalictrum majus ſiliqua ſtriata*, ſcilicet ad rivulum inter novam domum & parvam Hüningam, tum & in Inſula Rheni verſus pagum Marchionatus Märk, in herbatione publica, nuper reperimus *Thalictrum Aquilegiæ foliis, florum ſtaminibus albis Tournef.* idemque *ſtaminibus & petalis purpuraſcentibus* (En. Helv. n. 7.) & in eadem porro herbatione, in prato udo juxta Rhenum ſupra modo dictum pagum. *Polemonium flore albo*; quæ ambæ plantæ inter Baſileenſes hactenus nondum enumeratæ fuerunt.

Phalaridem Oryzoidem Linn. quam olim cum deſcriptione tranſmiſi, in quarto actor. Helv. volumine ſub *Homalocenchri* nomine deſcripſi, addita icone floris characteriſtica. Ille tomus, quem hiſtoria tua plant. Orchidearum egregie ornat, hactenus a Tabb. Meteorologicis retardatus fuit; proxime tamen nunc lucem videbit.

Pro honorifica mei nominis citatione in Tract. de irritabilitate & auctario ad Enum. Stirp. Helv. debitas ago grates.

Vale Vir perilluſtris, diuque adhuc proſperime vive, mihique porro fave.

D. Baſileæ d. 31. Maij 1760.

112.

CALDANUS.

EXpectabam obſervationem factam in dura meninge virginis illius, de qua alias mentionem feciſti, ut eam una cum iis, quæ a Molinellio noſtro fuerunt inſtitutæ typis ederem, tum cum reſpondebo D. le Cat. Nunc ex Te quæro Vir præſtantiſſime, an adhuc expectare debeam, an iis tantummodo utendum mihi ſit, quæ Molinellus inſtituit? Una cum theſibus, quas humaniſſime polliceris, expecto ſemina plantarum quarundam rariorum Helvetiarum, ut gratum faciam Cl. Viris Botanicis Patavino & Bononienſi. Obiit circa finem menſis proxime elapſi amicus Pujattus Practicus Patavinus ſatis clarus.

In reſponſione ad D. le Cat etiam nunc laboro: reſponſioni autem nonnulla addere vellem, quæ ad rem noſtram non pertinent: verum anatomica ſunt, & ad aurem ſpectant. Addere tamen non poſſum, niſi prius duo ex Te quæram: nempe primo, ubinam vel Zinnius, vel Meckelius auris deſcriptionem dederint exactiſſimam. Video Te in reſponſione univerſali ad objectiones, mentionem facere de hac re; ſed nemo quod ſciam, in Italia diſſertationem, ſeu opuſculum illud vidit. Moneas itaque quæſo, an legi hæc poſſint in Actis Academiæ cujuſdam, an alicubi impreſſa ſint: quod ſi apud Te exemplar

emplar aliquod extaret, gratiſſimum faceres ſi ſtatim mitteres: 2°. an aliquis dixerit, quid ingrediatur maculam illam triangularem veſtibulo inſculptam; de qua mentionem facit Morgagnus, quamvis fateatur uſum ignorare. Ego enim conſtanter video portionem duram nervi acouſtici proxime ad eam maculam dividi in partes duas, quarum altera aquæductus Fallopii, altera maculam illam ſubit, & veſtibulum ingreditur. Poſtremo loco exoro ut protector mihi ſis, quod aliquam Academiam ſic ut ſocium me ipſum adjungat. Non alia ratione id peto, niſi ut honor aliquem fructum mihi comparet, cum ad cathedram aliquam obtinendam aſpiro.

Dabam Bononiæ 7. Julii 1760.

113.

DE LA CHENAL.

FElix fauſtumque fuit iter hucuſque, ubi a D. Brunnero gratioſiſſime excepti ſumus. Plantas in alpibus perpulchras legimus, novas nullas, ſi forſan aliquot Hieracia exceperis, quæ librorum defectu nondum determinare poſſum. Myrrhides tres diſtinxiſſe me credo, latifol. paluſtrem, eam, quæ in Ruppio picta eſt, tertiamque in montanis ſaltem provenientem, foliis petaliſque ora villoſis ſ. ciliatis diverſam.

ſam. In Tranſalpina vero Helvetia quaſdam novas cives detexi, Geniſtam ſcopariam frequentiſſimam ab Ayrolo Mendriſium uſque; Spergulam ſaginoidem Linn. Flammulam rectam, Oxyn luteam, Galium purpureum, Plantaginem anguſtiſſimo folio, diverſam ab Holoſteo alpino nigricante; Fumariam luteam. Haſce & omnes plantas, quas in itinere noſtro hucuſque collegimus, diligenterque & quantum fieri potuit pulchras conſervavimus, Baſileam cras mittam, occaſione, quæ ſeſe obtulit commoda, ut inde a fratre meo per Dnum. Zeerlederum Tibi mittantur. Alſines ſpecies multas legimus, Gentianas, Pediculares &c. perpulchras, etiam Rapunculum 1. En. Helv. Cytiſum heic & Bellinzonæ atque prope Zollbrücke frequentiſſimum. Rulci aculeati maxima hic occurrit copia. Novos plantarum rarior. locos natales plurimos Tibi Illuſtriſſime Vir! ſuppeditare poſſumus. Cras montem Generoſum aſcendemus: plenum, communi hic locorum fama, pulcherrimis ſtirpibus, Pœonia, Mandragora &c. Reditum juxta voluntatem Tuam per Rhætiam inſtituemus perque locos a Te indicatos. Inter alia, quæ ſumtus auxerunt, acceſſerunt pluviæ continuæ, quæ nos per triduum in pago Waſen commorari coegerunt. Perſuaſum vero Te vellem Vir Illuſtriſſime! præter neceſſaria nos nihil deſiderare.

Jac-

Jacea cum ſquamis cilii inſtar piloſis J. B. ab Ayrolo hucuſque in omuibus pratis, & ad vias frequentiſſima eſt, ut ſit, quod valdopere mirer, ... illam Geniſtam ſcopariam, Cytiſum & Rapunculum I. prætervidiſſe. Mirum eſt Jaceam nigram vulg. latif. hic loci, ubi altera provenit, nullibi occurrere.

Cum fratre meo nuper mandaverim, ut ſi quid neceſſarii mihi præſcribendum haberet, litteras ſaltem Tua cum inſcriptione, Rupem mitteret, Te rogo Vir Illuſtriſſ. ut eas Fratri meo Pharmacopolæ Baſilæam remittas.

Epiſtolæ hujus valde feſtinanter conſcriptæ ſtylum parum latinum excuſes.

Vale Vir Illuſtriſſime! & me, ut hactenus feciſti, favore Tuo porro amplectere.

Dabam Mendriſii d. 21. Julii 1760.

Salutem plurimam Tibi dicit Am. Chatelain.

114.

DE LA CHENAL.

FEliciter tandem ad finem perductum eſt iter noſtrum, ueque reditus plane abſque fructu fuit, teſtibus Galio atroputpureo, Galio tinctorio? Linn. Inula hirta Ejuſd. Thyme-

melæa folio lini? Ciſto femina ſalviæ foliis, Lychnide parva flore rubello ex viſcaginum genere hactenus mihi ignota, Celti auſtrali, Aſtragalo, quem olim J. Geſnerus verſus Curiam reperit &c. M. Bernardinum non conſcendimus, nimis a noſtra via remotum. Speluga M. plenus eſt pulcherrimis plantis. Sibbaldia, Linnæa &c. Mandragora omnino provenit in M. Generoſo, licet talibus in locis, quorum aditus harum viarum inſuetis nimis periculoſus eſt. Fructum tamen recentem vidimus inde allatum. Pœonia femina ibi in paſcuis vulgaris eſt. Mendriſiana regio pauperrima eſt ſtirpium, quod mirabar. Plures proveniunt circa Chiavenna, ab aliis tamen jam ex parte detectæ. Phytolacca ibi in ruderoſis valde frequens eſt.

Cras plantæ Tiguro adveniunt, quas ſtatim Rupem mittam, una cum obſervationibus & amplo catalogo. Pleræque pulcherrimæ ſiccatæ ſunt, ut fere pro recentibus haberi & examinari poſſint. Novas igitur cives fere 12. ad 15. deteximus, minor copia, quam ſperabam, minime tamen noſtra culpa.

Dabam Baſileæ d. 13. Aug. 1760.

115.

ACHILLES MIEG.

INviſenti, elapſo M. Julio, aliquot ægrotos, qui ruri ſe continebant, occaſio ſe obtulit, diverſos montes ditionis noſtræ perreptandi, præcipue montem Dornacenſem, viciniam M. Waſſerfall, & oppiduli Wallenburg; in quibus excurſibus primo obſervaveram, plantas a Bauh. in M. Waſſerfall indicatas, pleraſque etiam in aliis altioribus ditionis noſtræ montibus reperiri, pluſculas porro pro rarioribus habitas ſatis communes eſſe, & civibus tandem territorii Baſileenſis aliquot adhuc novas addi poſſe. Earum itaque, quæ pro noſtra ditione rariores vulgo habentur, loca natalia, quod Viro perilluſtri non ingratum fore credidi, hic ſubnecto, nempe

Spondylium alp. glabrum. C. B. fere cum ſolis adhuc feminibus, abunde a me repertum fuit in dumetis & paſcuis inter caſas Ullmatt & Bürden, montibus Ramſtein & Vogelberg interjectas.

Trifolium lagopoides flore ſubluteo Tourn. à D. de la Chenal deſcriptum, in paſcuo declivi deſcendendo ex M. Vogelberg verſus Waſſerfall.

Orchis palmata batrachites C. B. in eodem loco, tum in paſcuo inter caſas Ullmatt & Bür-

Bürden, flore virideſcente & purpuraſcente varians.

Chamæmeſpilus Cordi C. B. ad rupes M. Dornacenſis, arcis Ramſtein, eaſque quæ ad ſiniſtram oppiduli Wallenburg ſitæ ſunt.

Alni effigie lanato folio minor. C. B. iiſdem locis.

Frangula ora folii ſerrata En. Helv. iiſdem omnibus locis, fere ſemper ad rupes.

Heſperidi alpinæ murariæve ſimilis furrecta & magna J. B. n. 881. ſupra arcem Ramſtein, tum inter arcem Wallenburg, ad rupem juxta ſuperiorem fontem; eadem crevit ſupra murum juxta ſuperius Collegium urbis noſtræ, ubi muro renovato, nunc deſtructa eſt.

Arabis I. En. Helv. p. 561. variet ε Sub naturali antro fornicato juriſdictionis Wallenburgenſis, quod, ob novem ſcaturigines vulgo ibi prodeuntes, *zu den neun Brunnen* vocatur; ſed & Ejuſd. Var. 6. a D. Prof. Rud. Stæhelino in ditione noſtra repertam fuiſſe memini.

Sorbus aucuparia J. B. non valde rara eſt in montibus circa Waſſerfall; eam fructicantem tantum reperi; foliis averſa parte ſæpe hirſutis.

Criſta galli anguſtifolia montana C. B, in paſcuo, per quod via regia ſupra Wallenburg relicta ad dextram, aſcenditur ad caſam *Schönthal.*

Chamæbus ſaxatilis in montoſis ſaxoſis circa Wallenburg & *Schönthal.*

Pim-

Pimpinella ſaxifraga major umbella rubente C. B. in prato ſupra Wallenburg.

Buphthalmum 2. En. Helv. p. 711. *Conyza major altera* Thalii Hercyn. ic. II. copioſe in paſcuo ad latus oppiduli ad Wallenburg retro molendinum.

Cotyledon media foliis oblongis ſerratis C. B. in rupibus ad ſiniſtram ejuſdem oppiduli, ubi & foliis brevioribus rotundioribuſque variat.

Euphraſia tenuiſſime diſſecto folio, anguſto. Boccone Muſ. di piante T. 60. in paſcuo acclivi infra eaſdem rupes.

Polypodium 8. *En. Helv. p.* 140. ex fiſſuris earundem rupium.

Buxus foliis rotundioribus C. B. ibidem, & juxta viam ad introitum pagi Niederdorf.

Colutea ſiliquoſa minor C. B. in prædictis rupibus, & in ſaxoſis juxta viam inter pagum Höllſtein & Liechſtall, tum prope *Schonthal.*

Gramen avenaceum montanum panicula anguſta e dilutiſſimo fuſco albicante & pappoſa Scheuchz. Agroſt. p. 507. En. Helv. p. 222. in monte, cui arx Wallenburg ſuperſtructa eſt.

Duas etiam plantas apud nos raras a pecuario arcis Ramſtein accepi, nempe

Chamæceraſum alpinam fructu nigro gemino C. B. alicubi circa Ramſtein, & *Pinguiculam* 1*am En. Helv. p.* 624. in udo loco M. Waſſerfall lectam.

Apa-

Aparinem ſemine leviori Vaill. Bot. p. 14. Tom. IV. f. 3. non valde raram in noſtris ſegetibus eſſe obſervo v. gr. verſus Brügligen, circa Gruth &c.

Porro ſupra rupes M. Dornacenſis & ad introitum antri *zu den neun Brunnen* dicti, copioſius vero ad rupes, quibus arx Wallenburg inſidet, ſatis pulchrum. Hieracium reperi, quod videtur eſſe 10. *in En. Helv. p.* 745. *Var. &c.* Pedale eſt & ſeſquipedale, ſuperne brachiatum & multiflorum, totum a pilis glutiniferis, obſcure flaveſcentibus, viſcidum & ſubaſperum, albis vero longiſque pilis, ſolam caulis baſin obtegentibus. Folia radicalia elliptica, plerumque acuta & pedunculata, caulina ſemiamplexicaulia, cordato - acuminata, omnia raris, acutis & triangularibus dentibus magis minuſve profunde inciſa, ſupremis exceptis, quæ ſæpe integra ſunt. Floris majuſculi, calyx laxus nigricans, brevibus pilis hirtus, cujus ſquamæ aliquot ordinum fere æquales ſunt, & poſt Semina delapſa reflectuntur; Petala utrinque flava; ſemina ex fuſco nigricant, longiuſcula; recta, ſplendentia, ſtriata, cum pappo firmulo obſcurius albente. Placenta (uti in Intybo Enum. Götting) alveolata & ſubtiliter piloſa. Non recedit Icon. Plukn. ſub titulo *Hieracii alpini humilis Doronici facie* Phyt. Tab. CXCIV. f. 1.

Quum nuper Tithymalos meos examinarem, viſus mihi ſum dubiam enodare poſſe, quod

in

ſn En. Helv. p. 192. ed n. 8. indicaſti: nempe poſt D. de la Chenal (quem feliciter iter ſuum perfeciſſe ſine dubio jam noſti) pulchram *Tithymali* ſpeciem copioſiſſime creſcentem reperi in agris ſterilibus aridis juxta Rhenum infra parvam Hüningen, e regione pagi Neudorf, tum in inſula Rheni magis inferius ſita, in qua maximos ceſpites facit, ad cubitum uſque excreſcit; eundem prædictus amicus infra Michelfeldam repertum aliquando meum communicavit. Adeoque tam ex loco natali, quam deſcriptionibus, iconibus, & comparatione denique cum Tithymalo quem ſub *maritimi* titulo olim tranſmiſiſti, nullum plane dubium ſupereſt, eum eſſe *Tithymalum Linariæ folio* C. B. ſeu *Paralium* vulgo dictum, ſab N°. 10. p. 192. in En. Helv' recenſitum. Cum vero *Joh. Bauhinus* plantam, quam vocat *Tithymalum cyparisſiæ ſimilem*, *Pithyuſam multis* T. III p. 665. referat, abunde ſe reperiſſe Baſileæ ad Rhenum verſus Haltigen, qui locus plane convenit cum ſupra indicato, vix inde, tum & ex ipſa deſcriptione, dubito, quin vera illa ſit ſuſpicio, quam *Rajus* olim habuit Hiſt. p. 867. plantam ſub dicto titulo a J. Bauh. non diverſam intelligi a Tithymalo Paralio. Ab hoc tamen vere differre exiſtimo *Eſulam minorem Dodonæi* Pempt. p. 374. cujus deſcriptioni & iconi convenientem plantam Trajecti ad Moſam ad hujus fluvii ripam lectam, poſſideo, a Tithymalo Paralio diverſam, foliis

liis rarioribus, vagis, patulis, longioribus, in medio magis lateſcentibus, inde lentius decreſcentibus, magis venoſis & viridioribus, floribus porro crebrius per caulem ſparſis, involucris univerſalibus anguſtioribus & acutioribus, particularibus magis cordatis, petalis tandem lunatis & ſubacutis. An idem forte eſt *Tithymalus foliis linearibus obtuſis, petalis, emarginatis* Enum. Götting. p. 35?

Scribis Vir ampliſſime, gratum Tibi fore, ſi diſſertationes Baſileenſes tui ſaporis, i. e. bonas, ſubinde pro Te colligerem, quod equidem officium lubenter, ſi modo tales dantur, præſtabo Tibi vero non ignotum forte eſt, vix 4. ſeu 5. diſſertationes medicas annuatim hic edi, & inter eas rariſſime bonam. Si itaque ſolas eas intelligas, quæ ab hoc demum tempore ſunt prodituræ, eas quidem colligam & datis occaſionibus mittam, vel omnes, vel ſi ita cupis, tantum ſelectas, ſed facile ex prædictis perſpicis, Te raro aliquid eſſe accepturum. Si vero etiam deſideras alias priorum annorum, poteris eas, quem Dn. de la Chenal tradam, cum prius deſcripto Hieracio, ut ſuis plantis, niſi eas jam tranſmiſerit, addat; illas dein, quamprimum a me collectæ ſunt, ad Te curabo.

Vale, Vir perilluſtris meque benevolentia Tua amplecti perge.

D. Baſileæ d. 16. Auguſti 1760.

116.

W. DE LA CHENAL.

Missas hodie ad Zerlederum plantas cum catalogo brevi Te accepturum esse spero. Catalogum juxta ordinem enumerationis Helvetiæ disposui, non tamen absque festinatione, unde forsan factum, ut hinc inde, sed rarius, loca natalia omiserim, quæ tamen si monere placebit, perscribere potero; numeros ibi præfixi, qui iidem etiam in dorso chartarum plantas indicatas continentium, notati sunt, ut eo facilius videas, ubi in nominibus peccavi. Plantas non omnes siccavi, quæ in catalogo recensentur, cum ex parte vulgatiores sint & nimium negotii id fuisset. Raras tamen nunquam omisi. Characteres non plurimos consignavi, neque observationes ceteræ valdæ copiosæ sunt, cum libris in itinere destitutus plerumque ignorarem, quid de quaque planta sciendum adhuc supereresset. Omnium vero repertarum stirpium characteres exarare neque otium permisisset neque valetudo. Miror certe me tantum iter, æstum validissimum, subitasque in montibus istis aeris mutationes absque magno incommodo perferre potuisse. Colica tamen satis atroci per aliquot dies afficiebar, eo tempore, quo Spelugam conscendimus, quæ impediebat, quominus & Bernardinum M. satis præterea a via

noſtra diſtantem, adirem. Plantas multas in catalogo cum dubio recenſui, aliquas etiam abſque nomine, cum libris botanicis & horto ſicco caream, quæ omnia Montbelgardi habeo, ubi proximam hyemem & inſequentem æſtatem praxis exercendæ cauſa tranſigere animus eſt.

Alpes, quas perluſtravimus, nimis jam ab aliis ſunt aditæ, quam ut fere novi quid ibi detegi poſſit. Helvetia vero tranſalpina omnino non iter meretur, ſed moram & quietam ruſticationem, ut ipſiſſimis Tuis verbis utar, præprimis loca lacui Luganenſi adjacentia, mons Generoſus, Clavennenſis ditio, ubi quidem omnia tam exuſta erant calore prægreſſo, ut exigua ſuperfuerit rariorum plantarum copia. Rhætia etiam plantarum rariorum fertiliſſima eſſe videtur. Mendriſiana regio paucas plantas alit, cum præter agros vineaſque fere nihil ſit.

Tantam ex hoc itinere cepi voluptatem, ut quovis tempore tale iterum inſtituere paratus ſim, & forſan ſecundum iter utilius foret primo: cum majorem nunc partem alpinarum ſtirpium cognitam habeam, ut eo facilius in incognitas inquirere liceret. Majorem tamen, ut verum fatear, induſtiam adhibeo in planitie vel etiam in montibus humilioribus, quam quidem in alpibus, ubi nimis hypochondriaris affectibus torqueor, ab aeris, ut videtur levitate.

Si placeret Vir Illuſtriſſime plantarum, quas abſque nomine, vel cum dubio recenſui, vera nomina perſcribere, rem faceres mihi acceptiſſimam.

Plantas etiam promiſſas gratiſſimus accipiam.

Am. Chatelain gratus mihi fuit itineris comes.

Iterum Vale & mihi porro fave.

Itineris deſcriptionem, quam petis, alia vice mittam, cum nondum in ordinem digeſta ſit. Hieracii 10. En. H. ſpecimina a Dn. Mieg miſſa plantis addere oblitus ſum, catalogum vero diſſert. Baſil. hiſce litteris jungam.

Scriptum 1. d. Aug. 1760.

117.

CALDANUS.

VEnetiis ſum, vocatus ad nobilem ægram acuta dyſenteria laborantem; quamprimum vero in patriam redibo.

Accepi ſemen arboris Indicæ cujus nomen non bene intellexi: deprecor itaque ut moneas iterum quemadmodum deprecor ut, quod attinet ad opera Tua celeberrima mecum

aperte loquaris. Si recte litteras Tuas intellexi hæc habes: *Plantis vehementer delector, curoque ut enumeratio mea quam plenissima possit recudi, Si quid potes eo ornamenti conferre, facies perhumaniter.* Ex Te peto igitur qua ratione ornamentum conferre possim. Redux in patriam renovabo observationes circa aures, nempe circa nervum durum vestibulum, ut mihi videtur, subeuntem per peculiarem ac constantem maculam triangularem, innumeris foraminulis pertusam. Confirmata observatione quid agendum pro ipsa adornanda, ut perhumaniter mones.

Vale Vir celeberrime, & amice illustrissime; & fac, ut quando Te a me amari putas, me a Te amari sciam.

Dabam Venetiis d. 30. Aug. 1760.

118.

W. DE LA CHENAL.

GAudeo plantas feliciter adveniſſe. Quod non valde numeroſæ ſint, non mirandum eſt, ſi difficultates perpenduntur, quæ in longis illis itineribus occurrunt, quarum & aliæ nobis acceſſerunt. Ob anni enim præcocitatem, uti ubique, ita & in alpibus præprimis meridiem verſus, haud paucæ ſtirpes jam defloruerant & præterea in planioribus Italiæ vicinis

locis

locis ita omnia ſummo aeris æſtu erant aduſta ut vix dimidia ſtirpium vulgo ibi nal centium pars oculis noſtris ſeſe obtulerit. Op taſſem plures reperire, & omnino plures reperiſſemus, niſi dictæ difficultates impediiſſent. Vix majorem potuiſſem adhibere induſtriam, quam quidem adhibui, ut ſcopum itineris attingerem.

Amiciſſimus Chatelain ut ab amico Neoſtadienſi accepi, nunc dom in orboa ffligitur. Cum ad 4. meas litteras nullam hactenus ab ipſo acceperim reſponſionem, de ejus præſente ſtatu nihil aſſerere poſſum, quem tamen ex ſilentio ejus ſatis triſtem eſſe concludo.

Iter vel ruſticatio in Valle Tellina &c. gratiſſima eſſet & ſperarem, lætiorem ibi Tibique forſan magis ſatisfacientem meſſem eſſe collecturum, imprimis cum amicos ibi habeam, qui & idoneos viæ duces, & alia quæcunque commoda lubentiſſime procurarent. Quando vero ſcripſi, me alpibus planitiem præferre, ea non ita intellecta velim, ac ſi plane alpes conſcendere reſpuerem.

Si velles Vir Illuſtriſſime! earum ſtirpium, quarum majorem copiam deſiderares, catalogum mittere, earum ea mitterem ſpecimina, quæ Tua cum permiſſione Cl. Geſnero communicare animus erat.

Catalogum diſſertationum Cl. Miegio com-

municabo, ut quantum fieri poterit, eas Tibi procuret.

Aretiam, quam in M. Speluga legimus, nunc video esse Allionianam.

Alsines speciem, a nobis in summo Gotthardo lectam foliis rotundis absque acumine puto esse Alsinem alpinam anagallidis folio Zanoni Tab. X. f. 1. Edit. Mont. eamque ipsam, quam pro varietate alpinæ serpillifollæ ex M. Bernardi accepisti.

Plantæ, quarum fasciculum promittis, gratissime erunt.

Proxima hyeme muscos colligam & fungos, in quibus nec non in graminibus parum adhuc versatus sum.

Vale, Vir Illustrissime & favore Tuo porro amplectere.

Dabam Montbelgardi die 31. Aug. 1760.

119.

BERDOT FILIUS.

HAbeo sane quod gaudeam injucundam Tibi non fuisse hydrocephali historiam & incisionem, estque ut Te male non habiturum putem, si his quæ jam scripsi, nonnulla sim additurus. Nimirum per totum pueri nostri morbum non secus incrementum sumsit corpus, dentiumque peracta est renovatio, ac si omnia

nia ſana fuiſſent & optime conſtituta. Nulla in dorſo, lumbis, coxendice &c. eroſio vel excoriatio, in tam longo decubitu ſupino obſervata fuit, quod quidem munditiei magnam partem videtur deberi, cujus ſtudioſiſſimi fuerunt parentes, non omnino tamen, cum obtuſiori nervorum ſenſationi aliquid, idque plurimum dandum eſſe autumem. Stupidi fere omnes capitis hydrope laborantes auctoribus audiunt, illibatis fuit noſtro ſenſibus, viſu per tempus excepto. Annon huc aliquid fecit aquarum in veſica incarceratio, qua magis æquali facta preſſione oſſibus ſimul ſuturiſque cedentibus, impeditum fuit, quominus factæ ſui juris aquæ, hanc vel illam cerebri partem huic vel illi ſenſui potiſſimum famulantem, vel omnes ſimul, quocunque modo deſtruxerint vel ad agendum plane ineptos reddiderint. Peſſime ideo habuiſſe nervos opticos non dubitandum, quod duris nec cedentibus incumbentes oſſibus omnem preſſionis vim experti fuerint. Annon ideo læſus primo fuit dexter oculus, quod dextri lobi cerebelli moles & induratio in idem cerebri latus, protruſo cerebelli tentorio, maxime & primo aquas impulerit?

Quid autem de vulgo receptis apoplexiæ cauſis ſtatuendum? Parciſſimæ non raro vi ſanguinis vel lymphæ ſub cranio quocunque loco effuſæ vel & vaſis tantum cerebri &c. dilatatis & obſtructis mors tribuitur apoplecticorum; ſed magna aquarum moles cerebrum

in noſtro caſu exundavit vita ſuperſtite, nec preſſio nulla fuiſſe videtur, cum cerebri craſſities tres lineas non ſuperaverit: aliquid ſane dandum calvariæ dilatationi in adulto vix expectandæ, hæc enim vim preſſionis minorem feciſſe non tamen plane, nullam videtur.

In comitatu Burgundico ubi præterita hebdomade ad ægrotam vocatus fueram, puerulum biennem videre licuit, ab anno hydrope capitis interno laborantem. Capitis peripheria 23 & ſemi pollicum Pariſin. Erat, ab una aure ad alteram, ducta ſupra verticem menſura, pollices numeravi 19. ad 9. lin. Utriuſque oculi cornea tela craſſiori obducta erat ut coecus plane fuerit puerulus; largior lymphæ ſanguiniſque copia ex utroque oculo ſtillaverat ante natam hance telam. Auditus integer eſt & appetitus, macies ceterum ſumma & uberior ſcabies.

Ex La Chenale, cui non omnino adverſa fuit Flora Italica, audio, Tibi per epiſtolarum & chartarum molem non occurrere obſervationem. Quam præterito anno de tendine ſcripſeram; hæc, ni fallor, ita habebat.

J'ai vù à Hericourt une femme âgée de 80. & quelques années, aveugle depuis longtems, qui avoit un ulcère gangrèné à la partie inférieure du tibia. Cet ulcère avoit découvert le tendon de l'extenſeur propre du peroné de la largeur de quatre travers de doigts. J'irritai ce tendon avec l'extrêmité la plus pointuë d'un fuſeau, qui ſe trouvoit à por-

portée, en priant la bonne vielle de me dire, ſi je lui cauſois de la douleur ; elle me répondit qu'elle ſentoit bien que je touchois la playe mais que je ne lui occaſionnois aucune douleur. Ayant réiteré l'expérience ſans la prévenir, je ne remarquai chez-elle aucun ſigne de ſentiment ni de douleur.

Ægre cum valetudine utcunque integra in gratiam redeo; febre tertiana intermittente laboravi, nec aliquot ejus recidivas, per plurimos quos habuimus ægrotos, dyſentericos, febribus continuis biliosis &c. intermittentibus inter quos pater fuit, laborantes, vitare potui.

Plantas legi aliquas, harum cum largior erit meſſis mittam catalogum. Vale.

Scribeb. Montbelgardi d. 31. Auguſti 1760,

120.

W. DE LA CHENAL.

PLantas quas uberius deſideras, quotquot potero, prima oblata occaſione mittam. Sed cum meo catalogo non iidem ſint numeri præfixi. de ſequentibus certiora nomina deſiderarem.

Alſine 74.
Sedum 87. & 88.

Gentiana 135.
Cirſium 227.
Hieracium 294.
Sileris aquilegiæ ſolio nullum mihi ſupereſt exemplum, neque pro meo quidem Herbario.

Ericæ etiam (quæ forſan Erica ſcoparia eſt) unicum poſſideo ſpecimen, cum vix plura legere licuerit in rupe inacceſſibili, licet copioſe ibi creſcat.

Rhapontici integri folii argenteo calyce, cum pauciſſima jam cum flore invenerimus, ſpecimina capitulis inapertis mittam. De Celti pauca ſaltem folia decerpſi, frutice ibi humiliori & floribus & fructu tunc deſtituto.

Addam dictis plantis alias olim jam a Te deſideratas, Niſſoliam, Ornithogala duo lutea, Tithymalum myrſiniten & duos alios, Petaſiten album &c.

In Lychnîde noctiflora nuper hic a me lecta petalorum bracteas conſtanter ſemibifidas reperio.

Am. Chatelain tandem, quod gaudeo, in morbo acuto, quo per menſis ſpatium non abſque vitæ periculo detentus fuit, feliciter liberatus eſt.

Muſcos & Lichenes in itinere alpino ſequentis anni majori cum cura colligam, hac hyeme iis ſedulo operam daturus, ut pleniorem earum conciliem notitiam.

Rapunculus alpinus petreus coeruleus &c. & Rapunculus alpinus corniculatus &c. Scheuchz. It. VI. p. 460. & 461. omnino di-

distincta planta est a Rapunculo spica orbiculari, ut intuenti facile patet. In hoc enim folia caulina sensim minora fiunt, lata tamen basi ad caulem sessilia, subhirsuta, pallidiora, folia capitulis subjecta multo minora. capitula compactiora, calyci segmentis brevibus, latioribus. Illi vero folia caulina radicalibus longitudine haud inferiora, ad basin angustissima, ut fere petiolata appellari mereantur, serrata vel non serrata, glaberrima (uti tota planta) splendentia, rariora; quæ capitulis susternuntur, ea inæqualis sunt longitudinis, unciam & duas quamdoque longa; capitula rariora, minora, calycis segmenta valde angusta, longa &c. Adde altitudinem totius plantæ vix pedem attingentem. Sed hæc omnia facile in sicca adhuc planta apparent.

In enodandis nunc stirpibus meis alpinis versor, quo in negotio Joh. Bauhini Hist. plant. ægerrime careo, quam, omni licet data opere, nondum mihi procurare potui.

Reperi nuper heic Ranunculum aquaticumin Mappio pictum & in Ruppio recensitum. Singularis planta est a reliquis Ranunculis aquaticis diversissima. Centunculum in agris humidis inter stipulas ubique reperio, plantam etiam in Helvetia, ut nullus dubito, ubique vulgarem ob parvitatem suam oculos quærentium facile fugientem. Sedum tetrapetalum rarius esse videtur, hactenus mihi incognitum.

An Astragalus ochroleucus circa Curiam a nobis lectus erit Cicer montanum lanugi-

nosum erectum C. B. Prodr. 148. Descriptio certe non recedit.

Vale, Vir Illustrissime & fave.

Dabam Montbelgardi d. 7. Oct. 1760.

121.

LUDWIG.

Filius natu minor his ipsis diebus gravi variolarum morbo tentutus fuit, nunc demum cum hæc scribo mihi redditus. Inoculationem & in nostris felicem fore cognosco, sed timidæ matres contradicunt, licet aliarum exemplo invitari possent, Deus vero cum Tuis Te servet & animi corporisque vires constanter permittat, quo nos qui eruditis curis inhærere non possumus, ex Tuis solatium percipiamus. Ita vale & me ut soles ama.

Dabam Lipsiæ d. 14. Oct. 1760.

122.

JO. ANT. SCOPOLI.

En floram meam, celeberrime Vir, quæ perfectior prodiisset, ni festinare jussisset Ill. a Swieten, iisque præsidiis caruissem, ad talia opera

opera neceſſariis. Occaſio mihi deeſt, non voluntas; mœcenatem Botanices in auſtria non habet; hinc poſt Cluſium, uſque ad noſtra tempora, amœniſſimi ſtudii cultor nullus apparuit. Kramerus in Auſtria, ego in Carniola tentavi quædam: uterque iiſdem fatis. Plurimas tamen ſtirpes reperi novis itineribus, quæ in hoc catalogo non recenſentur, quem doleo noviter, tot erroribus fœdatum, correctoris malitia, aut negligentia. Hanc, aliaque facile me monebunt, ut novam, auctam, & emendatam moliar editionem, ſi typographus adeſſet, qui eam in ſe ſuſcipere voluerit. Inter hæc, ſi quas ſtirpes optas, Virorum ſapientiſſime, eas omnes D. Popovio Viennam mittere non ſolum non gravabor, ſed ſummæ mihi gloriæ ducam, ei viro famulandi, quem in anatomicis & botanicis rebus principem, Europa tota merito veneratur. In prioribus litteris meis dixi, deleviſſe me, in notis emendatoriis genus Aſclepiadis; volui dicere, Serapiadis, cujus ſpecies, Te duce, ad Ophridem retuli, ob ſtamina cucullis membranacea minime tecta. Si nova prodierit editio enumerationis Tuæ Helveticæ, eam mihi protinus comparabo, ubi novero locum, in quo lucem adſpexit. Scripta enim Tua, omni auro prætioſora veneror; Tibi vero pro datis ad me litteris manum venerabundus exoſculor & ut bono litterarum, propitium numen, diu ſervet incolumem, ſinceris votis adprecor. Vale.

Dabam Idriæ 17. Oct. 1760.

123.

GOTTL. EM. HALLER A. FILIUS.

SIouti feliciſſimum iter, Veſuntionem expertus, ita inde poſtquam vehiculis celerrimis iter cœpi, nullis vexatus morbis Lutetiæ adpuli. Lutetiam ipſam paulo tardius intravi, cum ob Delphini iter forte, bellaque mihi ſubſiſtendum fuerit. Non poſſum tamen de mora queri, quum mihi contigerit, quod erat auſpicatiſſimum, pauciſſimis ſumptubus velociſſime iter meum perficere. Jam vero octavus agitur dies, quo Pariſiis dego, citius nolui ſcribere, quum domicilium ut ajunt, deſignare non potuerim, nec hucuſque id mihi licet, cum Herrnſchwandius olim noſter adhuc dum tale quærat, quo & ipſi & regiæ Bibliothecæ, propior ſim. Nolui tamen, quod impium fuiſſet, longius morari, adventus mei Te certiorem faciendi, ut eo citius, mandata Tua, ſi quæ ſunt, exequi poſſim. Poteris vero litteras dirigere, chez M. Herrnſchwand, Grand-Juge des Gardes Suiſſes, à l'Hôtel de Zurlauben, ruë neuve de Luxembourg, qui illas mihi reddet; nunc vero & eruditos & Bibliothecas excutio, quod magis ac magis neceſſarium intelligo, multa enim inde diſcere potero. Omnes vero eruditos, in ea Tui admiratione, quam de orbe litterato mereris, inveni, adii Senacum, qui ſumma cum comitate

mitate me recepit, per bihorium mecum collocutus eſt, imprimis de Te ipſo, familia, & ſcriptis. Litteras ille mihi dedit ſyſtaticas ad Sallierium Abbatem, cui ſumma bibliothecæ regiæ cura mandata eſt. Thierryum quoque inviſi, & fidum ipſe jam expertus ſum amicum. Me jam repetitis vicibus adiit, & de ſalute Tua, meaque, ſermonem habuit. Adiit & ille mecum Falconetium, ſenem nonagenarium ſed robuſtiſſimum; gaudet & ille bibliotheca ſelecta multorum millium voluminum, cujus liberrimum mihi conceſſit uſum; & ibi multus de Te ſermo, eſt enim Falconetio maxima Tui admiratio. Gaudio exſiluit, cum norit Tibi tantum §2. annorum ætatem eſſe. Felicem exclamavit orbem litterarium, qui tanto homine diu frui poterit; in ſumma, verbis exprimere non poſſum, quanti Tuum nomen in Gallia valeat, quantuſque inde mihi accedat honos, atque lucrum. Adii ædes quaſdam inſignes & pulcherrimas, ut le Louvre, les Tuilleries, la place de Vendôme, la place des Victoires, le pont neuf &c. Adii & comœdos Italos, actores, optimos, imprimis Favartia, cui plurimum eſt & actionis, & gratiarum: ſaltatores vero modici, ita ut ſaltatores Ackermannianos, quos Bernæ habuimus, certe non ſuperent. Non eſt jam quod addam, vale cum dulciſſima matre & familia mihique fave.

Dab. Lutetiæ die 29. Octobris 1760.

124.

GOTTL. EM. HALLER

OFficii mei esse duxi, Te progressuum meorum, quoad litteras, certiorem facere; adii comitem de Caylus, D. le Beau, Secretar. Academiæ inscriptionum, & in primis Abbatum Salierium; his auxiliis fisus, bibliothecam ipsam adii regiam, & liber ejus mihi fui concessus usus, ita ut manuscripta domi legere possim, quo fit, ut tanto major mihi inde utilitas accedere possit. Librarios etiam inquiro & pulcherrimos inveni libros, quorum tamen paucos, nec nisi rarissimos emo, ita Guichenonii historiam genealog. Sabaudiæ emi vilissimo pretio, cum rarissimum, mihique utilissimum opus sit.

Dab. Lutetiis die 3. Novembris 1760.

125.

GOTTL. EM. HALLER FILIUS.

ADil quoque D. de Milsonneau, maximo Tui amore imbutum; est ipsi pulcherrima & insignis librorum suppellex, imprimis rerum helveticarum, quorum mihi liberrimum concessit usum. Est Lutetiæ homo quidam Eli dictus,

tus, qui ſurditatem curare audet, dummodo malum non a paralyſi nervi ſeptimi paris oriatur. En vero ejus methodus. Timpanum exſcindit & ſuppoſitium inmittit. Fecit experimenta quædam, quæ ſatis bene ipſi ceſſerunt, ſed operationem hancce multis doloribus comitari non negat. Novi ſeminam Fallavelliam Lauſannenſem, quæ ſurda eſt, atque maxime optaret iſto malo liberari. Prona ſatis experimentum Elianum ſuſtinere, averet prius, Tuam de hac methodo ſententiam noſſe, eſt enim huic feminæ maxima Tui admiratio, ſi ergo velles precibus ejus annuere maximo illam beares gaudio. Malletum Profeſſorem Coppenhagenſem hic vidi; Genevam petit, ibi commoraturus, ut valetudini ſuæ conſulere poſſit, Ceterum quod addam non habeo, vale mihique fave.

Dab. Lutetiæ die 12. Novembris 1760.

126.

GOTTL. EM. HALLER.

QUod ſæpius litteras non dem, cauſam habes, quod nimiis earum ſumtubus Tibi moleſtus eſſe nolim. Interim officii mei duxi eſſe, progreſſuum meorum rationem reddere. Vehementem in modo vivendi mutationem coactus fui incipere. Vegetabilium enim uſus rariſſimus

hic eſt, lactis nullus. Variæ carnium ſpecies aromatibus, onuſtæ, victum conſtituunt unice. Indigeſtiones inde paſſus ſum nonnullas, ita ut tandem coactus fuerim, unicum prandium quotidie ſumere abſque cœna, & ab eo tempore optima utor valetudine. Aqua peſſima & laxativa, mihi vero emetica eſt; hinc illam coqui jubeo, & cortice aurantiorum tingi, ita ut illa ptiſanæ ſpecie utar, qua Gœttingæ per tot annos uſi ſumus. Thierrium & Herrnſchwandium optimos amicos experior, & ſatis frequenteradeo. Vidi quoque Boccagiam, pulcherrimam feminam & doctiſſimam. Blæſe paulum loquitur, ſed amœne. Gaviſa valde fuit litteras a Te accipiendo, me ipſum inviſit, & die Dominica prandium apud ipſam ſumſi. Incredibile eſt dictu, quanta Tui hic exiſtimatio ſit, medici ob medicinam, omnes ob poeſin, ita ut nullam bibliothecam videre poſſis, cui poemata Tua deficiant, feminis ipſis non exceptis, litteras ceterum non amantibus. Plurima invenio in Regia & privatis bibliothecis manuſcripta, res Helveticas illuſtrantia, illa avide lego, & quæ notatu digna videntur, in adverſaria mea refero. Liberrimus enim illorum mihi patet uſus. Zurlaubenii domum frequenter adeo, etſi antiqui moris. Juſſit expreſſis verbis Zurlaubenia Te ſuo nomine ſalutare, & ob poemata eximia, quibus Tu orbem ornaſti, gratias agere. Adſtiti his diebus publico Academiæ Inſcriptionum conventui. Inceptum Schmidium noſtrum quarta vice coronando, ſucceſſit elogium laborioſiſſimi

mi illius rerum Gallicarum ſcrutatoris Abbatis le Bœuf. Lecta dein diſſertatio, qua Brunehaultia omnium criminum rea probatur, contra nuperum ejus defenſorem. Finis impoſitus legendo diſſ. de comœdia media (moyenne) antiquorum, cujus exemplum exhibet Plutus Ariſtophanis. Mimos aliquando adeo; placent imprimis Galli, minus Itali, diſplicet *Opera* ut aiunt, ridiculum certe tragœdiam cantando exhibere. Vale cum dulciſſima matre, mihique fave. Dab. Lutetiæ die 21. Novembris 1760.

Addo litteras Boccagiæ quas heri tradidit.

127.

GOTTL. EM. HALLER.

GAudeo eruditos adire plurimos, maxima Tui veneratione refertos, Abbatem Barthelemy, Abbatem Trublet & Arnauld, Comitem de Caylus & Marchionem de Turbilly hodie adii. Primus diſſertationibus ſuis me ornavit de pavimento Palmyreno, & de nummis quibuſdam Plœniciorum, ultimus opere ſuo des defrichemens. Idem Turbillius plurimum Te ſalutatum jubet, & enixe rogat, velis ipſi per me catalogum mittere operum Suecorum, qui de re œconomica agunt, cum Tuis judiciis. Eſt enim ipſi animus rem agrariam probe excolendi, & optat optimos Suecorum labores, in

linguam Gallicam verti curare. Sane dignus homo, cui illum laborem non deneges.

Hæc ſcribenda duxi, & ſi heri tantum litteras miſerim. Vale cum dulciſſima matre & familia, mihique fave.

Dab. Lutetiæ die 25. Nov. 1760.

128.

GOTTL. EM. HALLER.

VEreor certe, ne nimis Tibi frequentia litterarum mearum moleſtus ſim. Sed impium duxi grotias non agere pro novo beneficio, a Te mihi illato. Inſigne certe illud & gratiſſimum, ita ut experimere nequeam, quantum Tibi debeam. En vero de quo agitur. Academia Regia ſcientiarum me inſcio conceſſit mihi benigniter aditum ad conventus privatos, qui bini ſunt per ſeptimanam. Optimo ſeni Mairanio illud debeo, Aditum mihi conceſſerunt cum *filius ſum Academiæ*, Tibi ergo illum unice debeo. Tibi debeo omnes honores, quibus Lutetiæ & alibi ornor. Uſus ſum privilegio conceſſo die 26. Nov. Obſtupui eruditos videre primi ordinis plurimos & uno loco congregatos. Morandium, qui mihi libros dabit Tibi mittendos, Mairanium qui Te plurimum ſalutat, Malouinium, quem ter adii ſed incaſſum, cum ob vehementem & lethalem ducis Burgundiæ morbum, fere,

fere ſemper Verſaliis ſit, d'Alembertum, Ferreinium, Buffonium, Clairautium, Caſſinium, Maraldium, le Monnierium, Condaminium, du Hamelium, Nolletium, Juſſievios, de l'Islium, D'Aubentonium, Adanſonium, Tenonium &c. Omnes maximos Tui admiratores. Nec minor eſt eruditorum numerus in Academia Inſcriptionum, & eadem Tui admiratio. Vidi ipſe comitem de Caylus, d'Anvillium maximum Geographum. Racinium, le Beau, Abbatem Bellay, Barthelemy, Sallier, alioſque. Adii quoque Arnaudium autorem du Journal étranger, & Freronium, qui perhonorifice de Tuis poematibus locutus eſt in libro ſuo année litteraire. Rarum enim ipſi eſt, aliquem laudare. Carpit omnes potius.

Hiſtoria litteraria ſiccum illud & ingratum ſtudium, in quo tot horas perdidi, mihi hic multos parat amicos. Ita ex. gr. du Hamelius me in Academia de arboribus quibuſdam Helveticis allocutus eſt, ipſum non novi, ſed ex hoc ipſo, quod de arboribus loquebatur, concluſi du Hamelium eſſe; videbatur ipſi gratiſſimum fuiſſe, me illum ex opere ſuo cognoviſſe. Idem mihi accidit cum Juſſievio, Clairautio, la Condaminio & aliis. Idem olim contigit Caramueli, Tacito & Plinio. In illo Academiæ congreſſu lectæ ſunt obſervationes variæ aſtronomicæ circa nuperam Lunæ eclipſim, circa Veneris cum ſole junctionem futuram, circa terræ motus in Archipelago, & inprimis obſervationes Petiti variæ, circa pericardium cordi

adnatum & palpitationem ut credit lethalem inde ortam: ſed plurimas hæ obſervationes excitarunt diſputationes, inter Morandium inprimis & Petitum, cum prior effectum lethalem negaret, credens palpitationem aliis ex cauſis ortam fuiſſe. Exhibita quoque eſt nova inventio piſces plantaſque exſiccandi, abſque ulla vel corporis, vel coloris diminutione. Satis bene illud cedere videtur. Buffoniüs & Juſſievius inventum examinabunt, ſententiamque referent. Diſtributa quoque eſt prima tabula gigantei operis ab Academia ſuſcepti, Dictionarii nempe artium omnium. Prima hæc tabula artem carbonariam exhibet, cum fuſiſſima deſcriptione. Optant valde academici relationem habere de puerpura noſtra novem annorum; aliquam dedi quantum memoria conceſſerat, juſſerunt fuſiorem. Scripſi Bernam ut illam haberem, & Te exoro velis, quæ de hoc phænomeno Tibi innotuerunt mecum communicare, additis cogitatis Tuis & corollariis. Forſan poſſem honorem adipiſci aliquem, ut nempe in numerum illorum referar, quibus cum Academia litterarum commercium eſt. Sunt quæ illud credere & ſperare jubent. Plurimos his diebus vidi eruditos viros, omnes Tui admiratores. Miſſam veterem illum amicum Gœttingenſem, Abbatem Arnuld, qui plurimum cupit Tuo uti commercio litterario, omniaque offert officia præſtanda. Clairautium, Condaminum, qui die Saturni elapſa inter ſocios academiæ Gallicæ receptus fuit. Du Hamelium, inſigni collectione præditum teſta-

teſtaceorum, madreporarum, milleporarum, echinitarum, coralliorum &c. eximiæ raritatis & magnitudinis. Juſſievium Tuum olim amicum & talem ſe adhuc præſtare cupientem. Varius cum illo de botanicis rebus fermo. Dixit inter alia, Halleriam in horto Regio apprime vegetare; tempore verno floret, & fructus fert maturos. Linnæus illam male inter pentandrias retulit, cum affirmante Juſſievio tantum quatuor ſtamina habeat. Plurimum ille infenſus eſt Linnæo, & ejus methodum plane rejicit. Favet plurimum ſyſtemati ab habitu ſumto. Cupit auctaria Tua ad Enum. Stirp. Helvet. habere, quæ fortaſſis data occaſione mittere poſſes. Mittunt enim Bernenſes ſæpiuſcule libros, ut Tſcharnerus, ſocietas œconomica & alii. Vidi quoque Tenonium chirurgum, Adanſonium, magnum illum Senegaliæ deſcriptorem, Marchionem da Turbilly, Thierrium, Boccagiam, cui poemata tradidi, D'Argenvilium cui inſignis minerarum collectio eſt, imprimis ex Ruſſia & Hungaria, Joluym præfectum collectioni iconum regiæ, ubi innumeræ plantarum figuræ conſervantur, Duvoiſinium & la Broue, verbi Divini apud oratorem Belgam miniſtros. Adire quoque volui Morandium, Malouinium, Ferreinium & veterem Tuum præceptorem le Dran, ſed domi non inveni, & le Dran extra urbem habitat prope St. Cloud.

Vale cum dulciſſima matre ac familia.

D. Lutetiæ d. 1. Decemb. 1760.

129.

ACHILLES MIEG.

CUm adeo & plantas perquirere, meaſque, circa illas, animadverſiones, quod facere alias ſolitus ſum, judicio Tuo ſubjicere, eadem me obſtacula prohiberent, illarum loco Hiſtoriam ſingularis *Epilepſiæ hyſtericæ*, aut quocunque demum nomine hunc morbum deſignare malis, ex diario meo excerpere, atque, ceu caſum Tanti Viri attentione haud plane indignum, nunc offerre viſum eſt.

Puella nempe undecim annorum, ſpectabilis familiæ progenies, corpore æque ac animo valde mobili prædita, initio hujus anni leviori febre continua tentabatur, cum pectoris aliqua anguſtia, dolore ſiniſtri lateris pungitivo, & crebro vomitu. His duo medici qui illius curam geſſerunt, miliarem forte morbum, vel etiam pleuritidem tunc temporis epidemicam ſubeſſe rati, remedia pro re nata varia oppoſuerunt; unde poſt aliquot ſeptimanas mitigata quidem fuerunt memorata ſymptomata; ſuccedente tamen, veſpertinis horis, alio triſtiori, manuum ſcilicet pedumque convulſivo motu. Itaque, relicto morborum prædictorum metu, tæniam ſuſpicari cœperunt, tandemque naturæ niſus ad menſium fluxum jam ſuſcitandum; a quibus tamen affectibus indicata remedia nihil contra morbum præſtiterunt. Immo vero continuo

augmentum capientes, & mox per integrum corpus ſparſi, convulſionum paroxyſmi, eatenus ſenſim increverunt, ut qui primo & altero menſe per horæ ſpatium quotidie ſolummodo duraverant, Aprili jam ad quatuor, & initio Maij ad quinque demum horas extenderentur, regulari ſuo reditu intermittentem febrem egregie imitantes, cæterumque plane admirabilibus phœnomenis ſtipati.

Ægrotam nimirum quoridie illi invaſerant primo circa horam ſeptimam veſpertinam, deinde prout duratione increverant, ſenſim citius, tandem hora quarta, & prius jam inciperent, præceſſerunt illos primum quædam triſtitia, & mingendi cupido, redditæque urinæ, bene coloratæ & pellucidæ, rariſſime turbidæ, parca plerumque copia, acceſſit ſtimuli ingrati ſenſus circa præcordia continuo ingruentis paroxyſmi nuncius; ſiquidem mox ſenſu illo per collum ſurgente ſereatumque citante, ſedens in lecto puella, omni ſunſu illico privata, cum impetu & clamore retrorſum in pulvinar fuit rejecta, convulſivis deinde motibus aliiſque phænomenis eo modo alternantibus, quem jam referam.

Frequentiſſimam integri paroxyſmi idemque præ aliis terrificum ſymptoma, conſtitit in violentis vibrationibus, quibus truncus cum capite antrorſum in torale retrorſumque in pulvinum alternatim ſex, octo, aut pluribus vicibus continuis agitabatur; quo tempore ægra, pollicibus plerumque manibus incluſis (alias per paroxyſmum fere libe-

ris) ambobus brachiis alternatim torale pulvinumque vehementer feriit, edito ſimul ad ſingùlas vibrationes ſuſpirioſo clamore. Et harum quidem acceſſiones ipſa præſentire viſa eſt, licet ſuæ mentis non eſſet, quum prompte, ſi forte obambularet, iis inſtantibus in lectum inſiliret, potumque, ubi talem prius aſſumtum adhuc in ore tenebat, illico exſpueret, ne ſcilicet in aſperam arteriam is incideret; nam ſine dubio deglutitio a ſpaſmis impedita & ægra magna anxietate affecta tunc fuit, quæ ſæpe, iis inſtantibus & evaneſcentibus, pectus pugnis verberavit; & his etiam, vel plana ſolummodo manu, dum ſummum caput concuteret, eaſdem vibrationes aliquoties ſubito ipſam accerſiſſe vidi. Illæ cæterum ſexaginta & pluribus ſæpe vicibus per ſingula acceſſionum ſpatia redibant, atque in recentiore adhuc morbo fere continuæ fuiſſe dicuntur, quo etiam tempore ſemper quoties illæ ceſſarunt, ægram totam rigidam, cum oculis torvis oreque aperto, per dimidium circiter minutum ſuper dorſo cubaſſe relatum eſt. Prolongatis vero paroxyſmis eædem primis horis magis a ſe invicem remotæ apparuerunt, ac verſus finem ipſorum demum frequentiores fereque iterum continuæ, Et in univerſum vehementiores quicunque motus in recentiori morbo fuerunt, quam ubi ejuſdem paroxyſmi magis erant prolongati; quaſi natura, per vim morbi defatigata, idem partitis magis viribus

tunc

tunc experiri voluiſſet, quod prius vividioribus crebrioribuſque motibus fruſtra tentaverit.

Inter prædictas vibrationum acceſſiones ægram primis menſibus ſæpe aliquantum ad ſe rediiſſe dixerunt, atque tunc queſtam eſſe de ingrata quadam re in fauces ſurgente, quam magno niſu excreare molita eſt, ut tamen, reſpiratione inde prius per unum ſæpe alterumve minutum remorata, nihil unquam præter tantillum muci prodiret; & aliquoties etiam linguæ in ore duplicatæ apicem in fauces, horrendo ſpectaculo, plus uno minuto intrufum manſiſſe.

Iſta vero, poſteaquam paroxyſmi magis eſſent prolongati, majoraque inter vibrationes ſpatia interpoſita, vix amplius contigerunt. Plerumque tunc in illis ſuccuſſuum intervallis e lecto ſurrexit ægra, & mentis ſuæ nunquam plane compos, varia egit & locuta eſt, quæ rarius terrentia fuerunt, ſæpius vero riſum adſtantibus moverunt: ſcilicet modo faciem & oculos diverſimode diſtorſit, modo ipſa in cachinnos incidit, aliena multa locuta eſt, frequenter ex uno conclavi in alterum obambulavit, aliquando ſaltavit, imo ad rhombum fila duxit felem multum ab ipſa amatam, ſtatim ac eam viderat, arripuit, cumque illa, & ſæpius etiam cum crepundiis, luſit; atque in genere, veluti ſomnians nulla egit, cujuſmodi a ſomnambulis peragi obſervantur. Inter hæc ſubinde, quaſi mali impa-

patiens, caput ſuum pugnis concuſſit, & aliquoties mentis, ut ita dicam, ſemicompos, in ipſo paroxyſmo retulit, ſe motus neſcio quos perplexos in cerebro ſentire, quos manibus varie complicatis exprimere tentavit, ipſaque lapſui, in caput olim facto, attribuit; narratum ſibi fuiſſe addens, ſe ſanatum iri, dummodo proprio ſangoine id illiniret, quapropter ſæpe digitos mordere affectabat, quod cum aliquando, non ſatis cito ab adſtantibus impedita, aliquatenus efficeret, ſtatim, lætitia quaſi inde perfuſa, altera manu tantillam ſanguinis guttulam excepit, capitique affricuit, curatam nunc ſe eſſe adjungens; ſicuti revera poſthæc ex columbæ longitudinaliter diſſectæ applicatione tepida aliquod levamen ſenſiſſe viſa eſt. Cæterum vix unquam in ipſo paroxyſmo de alio incommodo illam queri audivi. Atque etiam quo magis ſenſim ex remediorum uſu vehementia & duratio paroxyſmorum diminuta fuit, eo plus ipſa mens per eorum decurſum ſanæ & vigilanti propinquior evaſit; ſic ut tunc magis rationalia loqueretur, & aliquando mentis fere compos videretur, dum ad quæſtiones ſubinde apte reſpondebat, adſtantes pedetentim melius noſcebat, & denique, quod tamen diu facere noluit, propriis nominibus appellabat. Secure etiam tunc per ſcalam aliquoties in hortum deſcendebat, pullaſtris eſcam diſtribuens. ubique tamen a miniſtra comitata, ne forte caderet accedentibus vibrationibus, quæ aliquan-

quando in via ipſam corripuerunt. Imo verſus finem morbi plus aliquando, quam a ſana mente exſpectares, agere viſa eſt, dum aliquoties, paroxyſmo jam correpta, hujus finem fere ad minutum prædixerat, ipſamque ultimam acceſſionem jam aliquot diebus prius indicaverat.

Pulſus in paroxyſmis naturalis ſæpe æqualis, alias celerior & cum tendinum ſubſultibus junctus, fuit repertus. Illi porro fortiores ſemper apparuerunt, quando ventriculum prius nimium repleverat ægra; atque a terrore aliave animi commotione citius aliquoties accerſiti fuerunt. Potum in ipſo paroxyſmo, cum morbus jam declinaret, ſæpe aſſumſit. quem mixturæ titulo petere ſolebat, nunquam autem ſolidum cibum, tantillo excepto, quo tempore morbus jam valde mitis fini ſuo appropinquabat.

Denique eodem fere modo paroxyſmi finiebant, quo inceperant: ægra nimirum matulæ ad exhibitum ab ipſa ſignum porrectæ. aliquandiu inſidens urina plerumque limpida denuo excreta, poſt creberrimas validaſque vibrationes, atque ſcreatuum fruſtraneos fere niſus, ore tandem flatum emiſit, quaſi calidum refrigerare cibum voluiſſet, & eodem, quo id fecit, momento, ad ſe rediit, vix de alia re ut plurimum querens, niſi de faucium ſiccitate, quas ſtatim potu humectavit. Morbo tamen jam ad finem properante aliquoties vibrationes poſt ſufflationem iterum redierunt, poſt repetitos demum flatus

integre ceſſantes, quo tempore, cum poſt ſingulos illos flatus mens aliquantum rediiſſet, ægra de ſenſu titillationis ad ventriculum, ei ſimili, quem ante paroxyſmum habere conſueverat, queſta eſt, & poſtea etiam de irrito vomendi conatu, quæ vero incommoda ab una alterave gutta olei cajeput cum ſaccharo data, ſuperaſſumto Theæ hauſtu, illico diſparuiſſe vidi; ſic ut, quando hæc ſtatim poſt primam illam ſufflationem propinabantur, omnis ulterior motus emaneret, menſque etiam conſtare pergeret. Cæterum finito paroxyſmo, nullarum plane rerum in illo a ſe geſtarum reminiſcebatur ægrota, & ſemper affirmabat, ſe per totum illud tempus dormiviſſe, quin etiam offenſa fuit, dum varias illas actiones ipſi narraverunt, quaſi nempe in ſomno ſic ineptire poſſet. Mox etiam cum ſenſu hilaritas in animum rediit, & paulo poſt hæc cum magno ut plurimum appetitu cœnavit.

Tempore a paroxyſmis hactenus deſcriptis, vacuo & corpore fere ſana videbatur puella, atque hilaris plerumque tempus in lecto ludis trivit. Pulſus raro non naturalis fuit, & pleræque functiones bonæ, quin ipſe appetitus fere modum excedens, ut ſæpe a ſtomacho nimium repleto gravaretur, Neque etiam vires ad morbi finem uſque valde debilitatæ fuerunt, ut facile rhedæ motum toleraret, quo aliquoties hoc intercalari tempore, Medicis ſuadentibus, uſa eſt. Ipſam etiam ambu-

bulationem vires omnino permisissent, nisi aliud incommodum illam tunc impediviſſet, ægramque in lecto retinuisset: passim scilicet in sinistro latere, specificatim ad thoracem, sub axilla, & sub poplite, de aliquo dolore questa est, fere solum quidem ad tactum, ubi cæterum nullus rubor, aut tumor, nec aliud vitium externe apparuit; atque inde cum brachii absoluta elevatio, tum imprimis pedis illius motus impeditus fuit, quem omni tempore intercalari in genu contractum habuit. Istud vero incommodum in ipso paroxysmo, quod diu nobis mirum est visum, penitus disparuit, adeo ut liberrimus esset pedis motus, eam solam forte ob rationem, quod ægra, tunc sensu privata, dolorem ab extensione haud perciperet. Præter hæc etiam in capitis illo loco, qui paulo ante verticem est, & cujus percussione ægram in paroxysmo aliquoties vibrationes excitasse prius dixi, levem solummodo dolorem sensit, ad tactum auctum, quo tamen ipso nullum aliud vitium detegere potui; & quidem caput, jam longo ante morbum tempore, in lapsu ex humili curru haud equidem valde gravi, ibi impegisse tum demum ad repetitus meas inquisitiones fassa est puella, cum morbus jam in summo gradu versaretur; licet jam ex eo propemodum tempore, quo se lapsam esse retulit, pectinis rudiorem attactum in dicto loco ipsam vix ferre potuisse tunc reminiscerentur parentes, quos tamen ille casus hactenus latuerat.

Hæc

Hæc itaque, quæ hactenus narravi, primaria hujus phœnomena fuerunt, quæ cum per urbem noſtram multum innotuiſſent, adeo ſingularia omnibus ſunt viſa, ut multi non dubitarent inſolitæ etiam cauſæ morbum tribuere, ſicuti fere in ejuſmodi caſibus moris eſt. Scilicet, priuſquam id dixero, facile divinabis, Vir Illuſtris, pleroſque in eo conſenſiſſe; quod morbus incantamento originem debuerit; hancque ſententiam inſolitis illis geſticulationibus, ſermonibus plane alienis, ipſiſque adeo vaticiniis, tum eo imprimis fulciri crediderunt; quod ægrota ſæpe in ipſo paroxyſmo fœminam quandam, ab aliquibus pro ſaga habitam, ut morbi cauſam accuſaſſet, qua cum nempe prius converſata eſt, quamque etiam ob factam offenſionem in ipſam iratam fuiſſe, & minas jactaſſe, & aliquid porro edendum catillanti, ut infantes ſolent, dediſſe, tandemque jam multum progreſſo ipſo morbo jactitaſſe, puellam vix ab alio homine quam a ſe ſola curatum iri, retulerunt, ad quæ id etiam acceſſit, quod ægra in ultimo paroxyſmo perinde ſe geſſerit, ac ſi cum præſente, mihi tamen aliiſque ad ſtantibus inviſibili, ſaga verbis pugniſque vehementer certaſſet, quin imo feneſtras aperiri juſſiſſet, ut a ſe depulſa venefica per eas evolare poſſet. Alii ſpiritum, neſcio quem, accuſarunt, qui puellam quotidiana viſitatione ita torqueret. Sed miſſas facio ejuſmodi nugas, quæ ſi præpoſitum Kembergianum ſui deſcriptorem habuiſſent, hunc morbum forſan æque celebrem

brem atque Lohmannianum illum reddere potuiſſent. Siquidem diverſæ illæ geſticulationes ac agitationes non adeo inſolitæ videbuntur medicis aliiſque, quibus convulſivos morbos frequentius obſervare contigit; neque etiam rarum eſt, mente alienatos atque delirantes aliena loqui. Quod vero ſermones in paroxyſmo de ſaga habitos attinet, potuit forte ægra, ſomniantium inſtar, eorum aliquando in paroxyſmo reminiſci, quæ ſæpe vigilans ſuos rationari audiverat; namque in multis ſomniantes atque ſomnambulos illam imitatam eſſe ſupra retuli, & ſimili denique rationi prædictiones de acceſſionum finibus adſcribenda videntur, quas una fere horæ quadrante decreſcere cum obſervaſſent adſtantes, ſæpeque ægrotæ, quo tempore ſuæ mentis erat, narraſſent, hæc in ultimis paroxyſmis mentis tunc jam propemodum compos, ipſa forte computare voluit.

¶ Quam vero prudentiorem de hoc morbo ideam duo medici, qui ante meam vocationem ægræ curam adhibuerant, ſibi formaverint, jam ſupra retuli; quorum etiam ipſorum ratiocinationem, huicque ſuperfundatam methodum, cum eventum ſperatum non haberet, non parum contribuiſſe profiteor, ut veriorem cauſam facilius detegere, adeoque & efficaciorem medelam ſeligere, potuerim. Nimirum præcipuam hujus affectus uſque ad-

huc adeo rebellis cauſam, in diſpoſitione hyſterica exquiſita quærendum eſſe, tam ex ipſis phænomenis, quam ex quorundam remediorum, præcipue purgantium antehac nocentium indole, concluſeram; ac quendam porro morbi fomitem, eumque ipſum quod prius jam adhibitis purgantibus non auſcultaverit, valde tenacem, in primis viis hærere, evacuantibus tamen, quæ fortius ſtimulent genuſque nervoſum adhuc magis debilitent, non exſtirpandum) paroxyſmorum recurſus ſimili modo periodici, ac in certis febribus, ſæpeque etiam in hemicrania, eſſe ſolent, indicare videbantur; in quibus ſcilicet ægritudinibus primas vias vix non ſemper morboſo fomite inquinatas eſſe, nec ideo roborantem corticem ſatis tuto adhiberi, niſi ille prius correctus aut eliminatus ſit, practicorum obſervationes complures docuerunt: & denique lapſum olim in caput factum aliquam in convulſivos illos motus influentiam habere, ex ſenſu in eo loco continuo, inque ipſo etiam paroxyſmo molesto, vibrationibuſque ex ejuſdem percuſſione ſuſcitatis, apparuit.

Hinc, ſi modo ſuperabilis eſſet morbus, id illum fore ab ejuſmodi remediis conjeci, quæ ſat validum, & abſque nimio tamen ſtimulo, reſolventem vim habeant, ac nervoſum genus roborent, ſimulque tamen vermibus, ſi forte in tenaci nido tales laterent, ſint ini-

inimica, non neglecto porro ejus generis medicamine topico, quod capiti læso prodesse observatum fuit. Et quidem, tametsi diuturna morbi duratio, & celebrium medicorum, qui cum scientia tum experientia me longe superant, frustanea hactenus cura, spem angustam relinquerent, aliquam tamen aluit felix analogi morbi convulsivi in puero curatio, in quo haud diu antea, in cassum primo adhibitis anthelminticis, tum agitatis aliquantum convulsivis motibus per pilulas fœtidas, peruviano tandem cortice sagam penitus depuleram; cujus nobilis itaque remedii virtutem in gravissimis nervorum morbis a Cel. Tissot, felicissimo Lausannensi practico, optimo cum fundamento denuo prædicatum fuisse, hinc didiceram. Neque certe illam spem eventus fefellit; siquidem curæ, quam d. 13. Maij incepi, divinum numen & summa ægræ, ob prius dicti morbi felicem curationem, erga me fiducia, hincque natum in assumendis remediis, satis licet ingratis, facile obsequium, adeo faverunt, ut post octodecim dies convulsivi motus jam omnes evanuissent.

Illa vero remedia fuerunt pilulæ ex Galbano, assa fœtida, extracto corticis peruviani, ac tantillo camphoræ & moschi compositæ, quibus ægra hausturn vini superbibebat cum radicibus Pæoniæ, Valerianæ Sylvestris, foliis Chamædryos, Marrubii albi, Salviæ, corticibus

bus Chinæ Chinæ & Citri infusi, ac demum vertici capitis raso applicati sacculi cephalici ex vino rubro cocti. Atqui paroxysmos, tam quoad vehementiam quam durationem, sensim decrevisse observavi, cum ex illorum remediorum usu pulsus tantillum fortior & celerior evaderet, tenacisque demum muci satis notabilis quantitas, nullis tamen unquam vermibus admixtis, quotidie bis, ter, & quater, per alvum ejiceretur, quod ultimis etiam diebus, cum magis aquosa & aliquando indigesta tunc sequerentur, non sine aliquibus torminibus est factum. Neque porro id reticendum est, cum forte ad plenam morbi solutionem aliquid contribuerit, in fine morbi, & aliquamdiu post eum, pluscula acessisse, semper tamen cum euphoria, easque præcedentis cephalalgiæ diminutione, leviores narium hæmorhagias, sanguine nunquam non pulchre rubente, statimque coagulato,

Pedis contracturæ, brachiique difficilis motus post convulsionum emansionem adhuc perdurantes, balneis cum herbis nervinis paratis, & oleorum nervinorum inunctionibus incassum prius adhibitis, tandem ex frequenter admisso vapore aquæ, cum similibus herbis & formicarum nido coctæ, sensim abiverunt.

In fine primarii illius morbi, & aliquamdiu adhuc post eum, de odontalgia in ipsam aurem

rem affecti lateris propagata, atque ſæpius porro, quam antea, de incommodo quodam ſenſu in cardiæ regione, frequenti nempe hyſtericarum ſymptomate, juncto etiam irrito vomendi conatu, conqueſta eſt ægra; & his ſubinde tormina indigeſtorumque ciborum dejectiones, tum pluſculæ, uti ſupra jam dixi, narium hæmorrhagiæ, poſt fortiorem præcipue corporis motionem, acceſſerunt. Quæ equidem partim reſiduæ ſyſtematis nervoſi nimiæ mobilitati, partim ſolidarum partium laxitati, partim denique villorum nerveorum in primis viis, a defendente muco per dejectiones illas forte nimium denudatorum, majori ſenſibilitati, adſcribenda videbantur. Ille vero cardiæ ſenſus cum nauſea junctus, plerumque illico pro aliquo tempore ex olei cajeput una alterave guttula cum tantillo aquæ Menthæ aſſumta, hacque etiam aliquando ſola, diſpulſus fuit, & ab ipſo cibo potuve ſæpe evanuit; reliqua etiam per varia topica etiam mitigata; quæ tandem omnia magis magiſque ceſſerunt uſui ſyrupi ex Kinkina: limatura martis & tantillo Cinnamomi, cum vino rhenano parati, & corporis motionibus frictionibuſque ſenſim adauctis.

Neque tamen hæc incommoda plane diſparuerunt, niſi poſtquam per aliquod tempus ruri fuiſſet ægra; ubi quidem ab initio, cum jam a ſex circiter ſeptimanis a prædicto morbo liberata eſſet, ex iracundia, & nimia ovorum, cum butyro frixorum, tum aliorum difficilis dige-

ſtionis, in gravem febrem ſtomachico-bilioſam incidit; qua tamen ſuperata corpus adeo firmatum fuit, ut ab eo tempore neque adhuc vix quicquam amplius eſſet queſta.

Quæ hactenus de morbo ejuſque ſymptomatibus retuli, magnam quidem partem ſatis ſingularia ſunt; ſed magis tamen mirabilia Viro Illuſtri videbantur illa, quæ adhuc addenda habeo. Cum nempe hancce puellam tractarem, atque paroxyſmi ex prædictis remediis per octo circiter dies tunc jam aſſumtis, tam quoad durationem quam vehementiam jam equidem tantillum minui inciperent, in mentem incidit experimentum valde ſingulare in Italia captum, & excerptis litterariis Bernenſibus inſertum (*) circa magnetis, externe ſolummodo applicati, virtutem in convulſionibus ſopiendis, quam itaque hac etiam commodiſſima occaſione experiri ſtatim in animum induxi.

Adhibui autem ad iſtud experimentum Magnetem artificialem, cujuſmodi eximius noſter mechanicus, beatus Dietricus, ſub forma ferri equini fecit, quem nudum puellæ in manum dedi. Et ſumme cum adſtantibus attonitus vidi, motuum vehementiam fere penitus inde fuiſſe ſopitam. Id vero imprimis obſervatu notabile fuit in alternis illis corporis vibrationibus, quas ſupra deſcripſi: Iſtæ nimirum non

(*) Exc. totius Helvet. & Ital. litteraturæ, 1759. T. I. p. 247.

ſolum rariores aliquantum, ſed & mitiſſimæ ſolummodo acceſſerunt, ſi prius jam magnetem in manu tenebat puella, quæ tunc ſimul loco clamoris ſuppreſſa tantum voce gemebat; ſicuti campanarum ſonum quaſi ſupprimi videmus, ſi molli corpore tanguntur vel obteguntur. Quando vero tunc magnes fortuito de manu excidebat, vibrationes eo ipſo momento ex ſuppreſſis vehementes evadebant, & alto cum clamore junctæ, taleſque ſemper accedebant, quamdiu magnetem non tenebat, illico iterum ſuppreſſæ, quoties ille denuo applicaretur. Atque tunc ſæpe, quaſi mens plane rediiſſet, ipſa ægra retulit, miram eſſe rem, quod ſomno expergefieret, ſtatim ac ferrum illud prehenderet, namque exiſtimaverat, ſe tunc dormiviſſe, uti per integrum paroxyſmum id a ſe factum eſſe poſt ſingulorum ceſſationem contenderat. Eo mens certe minus alienata eſſe viſa eſt, quamdiu ſic magnetem in manu gerebat. Sed iſtius tamen virtute paroxyſmorum durationem non eadem ratione, uti eorundem vehementiam imminui exinde apparuit, quod, ſi circa finem eorum vibrationem vehementia ſic ſupprimeretur, illi potius prolongarentur; quam ob rem, cum ipſi illi frequentiores fortioreſque ſuccuſſus ad paroxyſmum citius finiendum neceſſarii viderentur, magnes e manibus puellæ tunc ſemper ablatus fuit.

San-

Singularem ergo hanc magnetis efficaciam, cum jam repetitis vicibus ſumma cum animi oblectatione animadvertiſſem. diu mihi temperare non potui, quominus aliis & imprimis eximio mathematico atque phyſico, Dn. Prof. Danieli Bernoulli, ingenuo meo patrono, id miraculum narrarem; qui, uti nimirum cautos decet phyſicos, non ita credulus, ut ſtatim omnia, quæ ipſi narrantur, abſque ullo examine credat, primo ſuſpicatus eſt, aliquam ſubeſſe puellæ ſimulationem, & præterea monuit, ut adverterem, num forte metalli frigus, ſimplexve cutis attactus, aut certe manus flexio, ad eam rem aliquid etiam contribuat, priuſquam ſolis magneticis effluviis id adſcriberem.

Itaque experimentum ſæpius adhuc, & diverſis quidem cum cautelis, repetii, aliquoties præſentibus mecumque hanc rem admirantibus aliis medicis, nec ullam certe, quoad ejus effectum, ſimulationem, caute licet animum huic rei adverterem, in ægra detegere potui. Et porro magnetis frigus, certamve manus in eo prehendendo flexionem, nihil ad rem facere ex eo vidi, quod in alterius manu prius calefactus, & papiro etiem involutus, & denique ſoli manus dorſo applicatus, eundem effectum ederet. Neque tandem ea impreſſio, quam ſimplex hujuſcunque demum corporis attactus in ſenſibile ejuſmodi ſubjectum

facere

facere potuiſſet, in mitigandis convulſionibus aliquid valuit; ſiquidem diverſa alia corpora, ex parte magnete æque dura, vti mox narrabo, nihil effecerunt, atque tam motus quam clamores aucti fuerunt, quando ægra vibrationum tempore nuda alterius manu tangebatur.

Verum tamen experimenta, quæ poſthac in eadem ægrota cum aliis diverſæ indolis corporis adhuc inſtitui, me etiam convincebant, mirabile illud phænomenon non ſolis quidem magnetis effluviis deberi; licet revera hujus efficacia illam reliquorum corporum ſuperaret. Ecce adeo illa, Vir Illuſtris, ex quibus cum ſumma admiratione ſimilem effectum animadverti: erant nimirum 1°. Lapis Hæmatites; 2°. Chalybis fruſtum, jam pluries poſt calefactionem in aqua exſtinctum, qua nempe ægra pro potu ordinario uſa eſt; 3°. Pila ex ſuccino facta, ſcipioni ex arundine indica affixa; quæ ipſa vero arundo nihil effecit, ut nec alius baculus vernice obductus; 4°. Sulphur; 5°. Clavis ferrea. 6°. Cera ſigillaris rubra; & denique, 7°. Cylindrus ſolidus ex vitro viridi factus. Ex his tamen corporibus alia aliis efficaciora deprehendi, eo fere, ut mihi viſum eſt, ordine, quo illa recenſui; ſic lapis Hæmatites magnetem virtute propemodum æquavit, vitri autem effectus vix ſenſibilis fuit. Quod ſi etiam ægrota in una manu magnetem, in altera vero hæmatitem tenuit, effectus adhuc evidentior

tior visus. Atque idem lapis, tum chalybs & sulphur, cum papiro etiam involuta adhiberentur, effectum ostenderunt, non equidem tantum uti nuda; cum contra magnetis efficacia a circumdata papiro vix imminuta esse videretur.

Sequentia vero corpora, simili modo applicata, nihil omnino præstiterunt; scilicet 1°. vasculum argenteum; 2°. Scipionis pila ex cupro deaurato; 3°. Varii generis ligna; & 4°. Silex. Lubenter experimentum cum aliis adhuc corporibus cepissem, a quibus autem morbi cessatio me impedivit.

Sed vererer sane, Vir celeberrime, ne longa hac epistola molestus Tibi evadam, nisi materiam adeo curiosam contineret. Id enim, uti spero, tædium, alias inde oriturum, diminuet; namque non una tantum vice expertus sum, & id procul dubio ipse quam pluries perceperis, vix ulla re magis delectari eos homines, qui in naturæ operibus indagandis sibi placent, ac dum vident audiuntve mirabilia ejusmodi novaque phœnomena! Qui etenim darentur effectus in corpus nostrum miratu digniores, magisque incomprehensibiles, quam illi superius memorati? Nonne iidem nos docent, haud plane forsan contemnenda esse certa amuleta in aliquibus nervorum morbis, cum imprimis ejusmodi subjecta afficiunt, qui habitum corporis valde sensibilem habent? etenim ex prius observatis concludere nollem, me-

memorata corpora eundem effectum In omni convulſionum genere & quibuſcunque hominibus eſſe editura.

Verum enim vero hæc tandem omnia Tuis reflexionibus, utpote maturioribus relinquo, quibus, ſi me erudire velis, pergratam rem facies.

Vale, Vir Illuſtris, atque præclari nominis Tui ſincero cultori porro, ut ſoles fave.

D. Bſileæ d. 6. Decembris 1760.

130.

GOTTL. EM. HALLER.

LItteras incluſas Thierrio optimo meo amico tradidi, qui Te plurimum ſalutat. Quis ſit D. de Milſonneau, quæris. Fuit olim Secretarius famoſi illius Bernard, nummularii regii; jam tranquille degit, octogenarius & ultra. Inſignis eſt ipſi bibliotheca, & manuſcripta Helvetica nonnulla curioſa. Officioſus homo, cum quo & ejus libris plurimas horas per ſeptimanam tero.

Quid in rem tuam Pariſiis prodeat, faciam uti mature ſcias, & Thierrium in auxilium ducam. Eſt ipſi maxima cum Des Caunetio lis, qui injurioſo libello, opus Thierrii de balneis in Bagneres aggreſſus eſt, inſtigatus a quodam

Bor-

Bordeu Medico Parisiensi. Plagii & mendaciorum reum illum accusat, sed meritas jamluit pœnas, cum Dux Richelius Gubernator Burdigalensis, Des Caunetium in carceres conjici jusserit. Ego & omnes Thierrii amici ipsi suaserunt ne respondeat, nisi quod plagium spectat, & pauciſſimis quidem verbis, posset enim Senacii iram sibi conciliare, qui Bordevii protector est. Tradidit Malouinius tertium tomum des Memoires présentés à l'Academie des Sciences, & Academia mihi misit descriptionem artium & scientiarum (operis nempe illius partem de quo nuper egi) ut tibi traderem. Malouinius quoque & Thierrius suo tempore parabunt, quæ mecum ferre possim. Quod de Acad. Reg. Scient. nuper scripsi, factum est. Jam enim a Thenonio Chirurgo insigni & Tui admiratore me inscio propositus sum, ille & Bern. a Jussieu Commissarii secundum leges electi, ad examinandam rem & primis diebus futuri mensis decidetur an recipiendus sim nec ne. Plurimo me favore prosequitur magnus ille Mathematicus Clairaut, cujus cura de la Landium, d'Aubentonium, de Montucla, aliosque vidi eruditos viros. Marchioni quoque de Turbilly plurima debeo, qui in domos quasdam insignes me introduxit. Boccagiæ & Zurlaubeniæ salutem tuam dixi, illa versionem suam conjurationis Valsteinianæ Italicam mihi dono dedit, fragmentum est operis Sarrazinii affecti. Brevibus ut omnia complectar, audeo dicere, om-

omnia mihi ampliter ſubſidia eſſe, quibus utile dulci miſcere poſſim. Vale optime parens cum dulciſſima matre & familia, mihique fave.

Dabam Lutetiis die 15. Decemb. 1760.

131.

GOTTL. EM. HALLER.

TUrbillyus plurimas Tibi pro conſilio gratias agit, neque tibi moleſtum eſſe cupit; Boccagiæ carmina tua tradidi, perhonorifice de illis agitur in Cenſeur Hebdomadaire 1760. N°. 44. quam partem curioſitatis gratia, adjeci duobus operibus. Arnaudius gratiſſimum nuncium læto animo accepit, promiſit litteras continuo mittere, neſcio an ſatis cito, ut his addere poſſim. Vidi optimum Le Dran 78. annos agentem, vigentem & fortem; me his diebus inviſit, plurimamque Tibi ſalutem juſſit. Magna hic inter eruditos lis eſt. de Fontenellii meritis. Leonem aggrediuntur mortuum. Neſcio an Gautierii novum opus noſti, Introduction à la connoiſſance des plantes. Paris 1760. in 12. 200. paginar. Mirabeau amicus hominum, nuper opus publicavit, audaci & forti ſtylo conceptum la Theorie de l'Impôt. Tanta ſcripſit audacia, ut liber continuo ſuppreſſus, autorque in carceres Vincennenſes miſſus fuerit.

Natura ut videtur hoc ſeculo ſibi plurimum placet, mirifica quædam producere. Habemus in Helvetia puerperam octo amorum. Habemus Lutetiæ nobilem Polonum, Joſephum Borwsleski, qui Comitiſſam de Miecka comitatur. Homo 23. annorum, vix dum 28. polices altus. Artus omnes in optima proportione, neque defiguratum quid videre licet. Ingenii ſummi & vivaciſſimi, ita ut tum ob ingenii dotes, tum ob ſtaturam omnium admirationem mereatur & obtineat. En quæ ſcribenda duxi, non habeo quæ addam. Vale mihique fave.

Die 24. Decembr. 1760.

132.

JOH. ANT. SCOPOLI.

SPero redditam Tibi fuiſſe Floram meam, Vir Illuſtriſſime, quam DominoPopovio elapſo menſe miſeram. Hic acriter mecum, conqueſtus eſt, quod miſſo eo libro honori ſuo minime conſuluerim; coactus ſum itaque deſideratas a Te plantas noſtrarum alpium, mittere D. Baronii de Senkenberg aulæ Ceſareæ a conſiliis.

Jam

Jam vero, concede quæſo, celeberrime Vir, ut oraculum Tuum conſulere valeam, ſuper aliqua, quæ me agitant, dabia. 1°. Quis fructus Aretiæ Tuæ ſecundæ? 2°. An Aretiæ Tuæ ſexta lacteo flore. vere differt ab ea, quam carneam Androſacen Linnæus appellat? 3°. An Sanicula montana rotundifolia C. B. ſit Saxifraga Enum. Zinn. vel Stellaris ejuſdem 4°. An Naſturtiolum pumilum vernum D. Bauh. vere diverſum ſit a Lepidio Tuo 5. Enum. Helv. 5°. Papaver Tuum alpinum, eſtne radice uniflora, aut multiflora 6°. Arundo calamagroſtis Linn. ex culmo ramoſo an bene determinata, & diſtincta ab Epigeios ejuſdem.

Alio anno, Deo volente, in Italiam & Tridentinas alpes, iter inſtituam, unde aliquot centurias rariorum ſtirpium ad Te mittam. Faciam id, meis ſumptibus Viennam uſque, imo etiam Bernam, ſi modum ſcirem. An non tutior & commodior eſſet via in Helvetiam per Tyrolenſem finitimum comitatum, ex vîa, quæ a Valle Venuſta uſque ad Atheſis originem, vel, quæ ab urbe Rhenipontana per Rheni tractum, uſque ad ejus ſcaturiginem, ad Helvetos ducit.

Moneas itaque, Virorum ſapientiſſime, qua via tutius & facilius meas ſtirpes ad Te mittere

tere possim; nihil enim magis opto, quam ab ejus nutu pendere, quem bono litterarum a Deo datum fatentur, diuque incolumem mecum optant eruditi.

Vale itaque, Vir Illustrissime meque Tuis favoribus, commendatum esse sinas.

Dab. Idriæ 26. Decembris 1760.

Finis Tomi IV.

ad pag. 229

Scala

Thermom. Reaumuriani.	Gradus in Micheliano.
Aq. ebulliens. 105½	100
100	94⅕
90	83⅔
80	73⅛
70	62⅔
60	52¼
50	41¾
40	31⅚
30	20⅔
20	10⅙
10¼ Temperies	0
0 Congelatio	10¾
10	21¼
20	31⅚
30	43

THERMOMETRUM Michelianum.

ex Spiritu Vini rectific.

	☉ °	′	Minuta	Diff. I & II	
100	100		5544	456	
90	92	24	5056	488	32
80	84	16	4536	520	32
70	75	36	3984	552	32
60	66	24	3400	584	32
50	56	40	2784	616	32
40	46	24	2136	648	32
30	35	36	1456	680	32
20	24	16	744	712	32
10	12	24	0		
0		0			
10	12	56			
20	26	24			
30	40	24			
40	54	56			
50	70	—			

Thermometri

Farenheit partium æqualium 214 a frigore artificiali cum sale amm. ad aq. ebull.	Mercurialis partium æqualium 100 a Temperie ad calorem Aquæ ebullient.	Spiritus Vini 100 partium æqualium a Temp. Mr. ad Aq. ebull. S. Micheliannm
214 Aqua ebull.	100	100
210	97½	96¾
200	91¼	88⅜
190	85	80⅞
180	78¾	73½
170	72½	66⅔
166	66	60
150	60	53½
140	53¾	47⅛
130	47½	41⅐
120	41⅓	35¼
110	35⅛	29½
100	28⅞	23⅜
90	22⅔	18½
80	16⅖	13¼
70	10⅙	8
60	3⅞	3
53¾ vel 54° Temperies		
50	2⅜	2
40	8⅝	6⅚
30	14⅝	11⅝
20	21⅙	16⅕
10	27⅜	20⅞
0	33⅝	25¼
10	39⅞	29¾
20	46⅛	34⅛
30	52⅜	38⅜
40	58⅝	42⅝
50	65 q. pr.	46⅚